Universitätsbibliothek Paderborn

# Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ; Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctiss. Primae Partis Opera Historica, Quotquot hactenus reperiri potuerunt, omnia

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

V. Catalogvs illustrium virorum, Germaniam suis ingenii & lucubrationibus omnifariam exornantium, ad Iacobum Wimphelingum Sletstadium Theologum: cum eiusdem Prosthesi siue additamento.

urn:nbn:de:0128-1-17297

Visual Library

# CATALOGVS ILLVSTRIVM VIRORVM GERMANIAM SVIS INGENIIS ET LVCVBRATIONIBVS OMNIFARIAM EXORNANTIVM DOMINI IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS ordinis ſancti Benedicti: ad Iacobum Wimpfelingum Sletſtatinum Theologum.

## EPISTOLA MAGISTRI MATTHEI HERBENI TRAIECTENSIS, AD INSIGNEM VIRVM IODOCVM BEYSELIVM, PATRICIVM AQVENSEM.

*CVM nuper è ſolo paterno ad vlteriores Germaniæ partes profecturus diſcedens, ad Aquaſgrani perueniſſem, teque Iodoce amicorum obſeruandiſſime pro veteri iam prope noſtra coniunctione atque amicitia ſalutandi gratia domi conueniſſem, accepi in mandatis: vt in ea peregrinatione doctiſſimos quoſdam viros (Germanos quidem) gratia & beneuolentia tibi obſtrictos, quos in partibus Rheni haberes adirem, & ex tuo nomine ſalutarem. Poſtquam igitur eo loci nauigio applicuiſſem vbi Nabus apud Pingiones Rheno influens, iter per Crutzennachum euntibus monſtrat ad Spanhem: mox euolo e naui, ad Trithemium abbatem eius cœnobij me accingo: ſaluto primum, deinde literas tuas trado. Proinde ita ab eo amplector, vt neque lautius neque clementius à magno prælato excipi potuiſſem. Vbi autem occaſio deambulandi conceſſa eſt (quod plerunque poſt primorum amicorum congreſſus, atque refectiones fit) circumfert me, atque illico in admirandam bibliothecã ſuam introducit: vbi plurima tum Hebræa tum Græca volumina intueor. Nam latinorum in omni arte, ſcientia & facultate ingens copia erat. Demiror itaq; vnius hominis in tam varijs monimentis conſequendis conſtituendiſque exactam diligentiam, atque vehementer obſtupeſco, cum in tota Germania non exiſtimauerim tantum peregrinorum voluminum extitiſſe. Nam quinque linguarum (ſermone & caractere à ſe longe diſtantium) libros in codicibus perantiquis illic repperi: quos Trithemij vigilans ſtudium non ſine multo ſudore comportauit. Hoc igitur modo (Iodoce doctiſſime) fulcitam inueni Spanhemenſem bibliothecam. Neque eam ſolum verum etiam & parietes totius domus abbatialis (quæ ampla eſt) & teſtudines camerarum, Græcis, Hebraicis, Latinis verſibus caracteribusque decentiſſime ornatas aſpexi. Quamobrem ego quoque ita mecum reputo, ſi in Germania noſtra Hebræa aliqua Græcaue academia ſit: ea Spanhemenſe cœnobium eſt: vbi plus eruditionis concipere poſſis ex parietibus, quam multorum aliorum puluerulentis atq; librorum inanibus bibliothecis. Quicquid enim antiquitatis & eruditionis Germania in libris habere poteſt: monaſterium Spanhemenſe Trithemio abbate procurante poſſidet. Manſi autem apud abbatem noſtrum dies vndecim non ſine exacta memoria tui: vbi cum quadam die inter loquendum in eius libri ſermonem, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis eſt editus incideremus: intuli mirari me tam præclaros ſcriptores, quos in eo libro cognoueram Germaniam noſtram habuiſſe, & etiã hodierna die habere: meminiſſeq; à quodam doctiſſimo philoſopho Italico audiſſe, neminẽ ſe vnquã doctum Germanum præter vnum Albertũ Magnum legendo vſquã comperiſſe. Tum vero abbas ſubridens, eo inquit magis igitur credendũ eſt Italos germanorũ laudes in ſcriptis ſuis ex profeſſo præteriiſſe: quo ex aliorũ præteritione ſuorũ gloria maior videretur. Poſſum quidẽ tibi palam facere multo plures vetuſtiſſimos atq; celeberrimos Germanos ſcriptores extitiſſe quã in libro meo de ſcriptoribus eccleſiaſticis agnouiſti. Et producens ex bibliotheca illa ſua ingentẽ librũ, nihil niſi Germaniæ doctiſſimos ſcriptores & ſanctiſſimæ memoriæ viros compræhendentẽ oſtendit: quẽ vt inſpexi, cœpi inſtantiſſime orare atq; obſecrare (quod & te & quemlibet doctum virum feciſſe non ambigo) efficeret ne tanta gloria maiorum noſtrorũ Germania noſtra deinceps orba degeret: curaretq; primo quoq; die officinæ impreſſoriæ mandaretur. Effecturum enim quo ex eius lectione atq; imitatione plures ſanctos viros & bonarum artium ſtudioſos eſſemus habituri. Exoraui itaq; abbatem qui ſe alioquin facilem præbet amicis: ipſumque volumen ad laudem Germaniæ noſtræ obtinui imprimendum. Hæc ſunt, Iodoce ſuauiſſime, quæ apud dominum abbatem Spanhemenſem agnoui, vidi, effeci: quæ longioris moræ impatiens ad te ſcribere inſtitui. Vale. Ex cœnobio Spanhemenſi XIX. calend. ſeptembris. Anno virginei partus milleſimo CCCCXCV.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# EPISTOLA DOMINI IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS, AD MAGISTRVM IACOBVM VIMPFELINGVM SLETSTATINVM.

QVoniam ſunt nonnulli (Iacobe Vimpfelinge amantiſſime) qui temporum hiſtorias cæcutiendo calcantes, Germaniam noſtram quaſi ſterilem & bonis artibus vacuam deſpiciunt: in qua præcellentes ingenio viros & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcriptores & paucos & raros floruiſſe contendunt. Adeo enim ſuę nationis improbi laudatores facti ſunt: vt vituperio cæterorum ſe credant fieri poſſe clariores. Exilia facta ſuorum & parua in hominibus proprijs ingenia, fucatis eloquentiæ coloribus efferunt: & magnas Germanorum virtutes, fortiaque geſta, ingenia clariſſima, fidem, feruorem, deuotionemque, inuidia obcæcati, penitus abſcondunt. Si quid virtutis, ſi quid eruditionis, ſi quid laudis, de noſtris apud veteres auctores inuenerint: ne ad multorum noticiā perueniat, aut citius abradunt, aut ſua publicantes noſtra omittũt. Sic denique Plinium de Germanorũ bellis periſſe fama eſt: ſic multæ ac variæ de rebus geſtis noſtratium antiquitus conſcriptæ feruntur amiſſæ hiſtoriæ. Tu autem vir doctiſſime hac æmulorum temeritate cõmotus, verus patriæ noſtræ amator ac defenſor apparuiſti: quippe qui varia de laude Germanorũ non ceſſas ſcribere: & alios vt idem faciant verbis & exemplis prouocare. Lupoldum Bebenburgenſem de veterum germanorum principũ feruore, zelo & conſtantia in Chriſtianam religionē tibi conciliaſti: & multa veterum auctorum de his ipſis rebus volumina bibliothecæ importaſti tuę. Sebaſtianum quoq; Murrhonem Colmarienſem, virum vndecunq; doctiſſimũ, triumq; linguarũ principaliũ non mediocriter peritũ, tuis cohortationibus couſq; perduxiſti: vt de laudibus germanorũ epitoma perpulchrum ediderit: in quo res fortiter geſtas noſtrorum principũ, pro fide catholica, pro republica, pro ſancta Romana eccleſia, luculento ſermone digeſſit: & nationis noſtræ clariſſima ingenia, opera, & inuenta breui compendio recenſuit. Sed nec his quidem contentus, animum tuum ſemper ad maiora noſtrorum laudum præconia eleuas: & quãto plura laudibus noſtris condigna inueneris, tanto ampliora concupiſcis. Vnde & me quoq; crebris epiſtolis & precibus exhortaris, quatenus de laudibus Germanorum aliquid debeam ſcribere: & illuſtrium virorum huius nationis, qui eruditione ingenioque præſtantes varia conſcripſerunt catalogum ordinare. Diu fateor diſtuli, partim rei familiaris ſollicitudine detentus: partim altioris ſtudij ſudore occupatus. Sed nunc tandem nimia importunitate tua victus ſum: & fateor me ſuperatum. Suſcipe itaque mi Iacobe catalogum, quem tantopere poſtulaſti: cumque lima tuæ caſtigationis & eruditionis corrige: & ſic demum ad aliorum examen venire concede. Nec omnes qui Germaniam noſtram ſuis ingenijs & opuſculis illuſtrem reddiderunt comportaſſe me putaueris: ſed eorum duntaxat memoriam habuiſſe: quorum ſcripta prę occupationibus meis ad manum potui reperire. Paucos recenſui è pluribus, quatenus detractor inuidus per iſtos ſentiat, quanti nobis adhuc deſint quos iſte catalogus minime portat. Neque enim mihi cæteros perquirendi dabatur ocium: neque impenſe per alios comportandi. Deniq; in fine poſteaquam vita defunctorum ſeriem contexui: quoſdam adhuc in carne viuentes adiunxi: ne ſi à nobis iam prætermiſſi fuerint, ad noticiam poſteritatis minime pertingerent. Enimuero qui nobis iam notiſſimi ſunt, cito in obliuionem deuenient, ſi literis & ſcriptis non fuerint cõmendati. Non minor mihi cura eſt viros eruditos qui aliquid pro vtilitate legentium ſcripſerunt in noticiam poſteritatis deducere, quam veterum opuſcula in bibliothecā mei cœnobij comportare. Scio tamen quibuſdā non ſatis placere quod ingenia viuentiũ commendare literis volui, qui hoc nõ ad vtilitatē poſteritatis, ſed ad vanā laudationē humanæ conditionis factum arbitrantur: His ego paucis reſpondendum exiſtimo, quoniam ad alia feſtino: Et ſi laudare hominem ante mortem in his quæ meritoria ſunt non debeo, ingenium quod naturale eſt & bonis maliſque commune literis mandare non prohibeor. quod Hieronymum proſperum, Gennadium, Iſidorum, Honorium, Sigebertum & alios multos feciſſe intueor. Enimuero quod ſanctiſſimi patres ad vtilitatem poſteritatis laudabiliter fecerunt, mihi eadem intentione facere cupienti nemo ſapiens interdicit. Denique multi ſunt his temporibus eruditiſſimi viri, quorum memoriam poſteris commendare pietatis eſt, & nõ minoris vtilitatis. Niſi hoc feciſſet pari pietate antiquitas, omnes dudum veteres clariſſimi ſcriptores ad noſtram memoriam non veniſ-

ſent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſent. Sunt etiam qui aut nullos aut paucos hac tempeſtate illuſtres ſcriptores in humanis haberi exiſtiment: quibus me rem iucundam gratamque feciſſe confido: ſi vel paucos de multis ad eorum notitiam perduxero. Nam etſi non omnium præſtantium ingenio virorum mentionem facere potui: ſtudioſis tamen noſtris Germanis occaſionem præſtiti, vt his deinceps etiam alios poſſint adiungere, & opus noſtrum ſua diligentia ampliare. Vale. Ex Spanhem, ſexto idus Februarij, Anno Domini M.CCCC.XCI.

# PRÆFATIO DOMINI IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS, IN LIBRVM DE ILLVSTRIBVS VIRIS GERMANICÆ NATIONIS, AD IACOBVM V. Sletſtatinum.

ALemania (quæ propter bonorum omnium fertilitatẽ recte Germania dici poſſet, ſi Cæſar non ſentiret cõtrarium) ab initio conuerſionis ſuæ ad fidẽ Chriſtianam claris ſemper effulſit doctoribus: quorum & ingenijs & ſanctiſſimis moribus cæteris nationibus copioſius meruit illuſtrari. Ex his multi ſanctorum catalogo inſerti ſunt: multi conſuetudinem hanc canoniſandi ſanctos ex tempore præceſſerunt. Probant hoc vetuſtiſſimi ab eis compoſiti codices: probãt miracula: probant ad honorem Dei conſtructa monaſteria & eccleſiæ. Horũ ego (& ſi non omniũ) quorundam tamen ingenia & opuſcula in hunc catalogum petentibus amicis comportare inſtitui, præbiturus occaſionem poſteris, vt vbi nos deſtitiſſe cognouerint, ipſi ſuo ſtudio Germanorum laudes perficiant. Ego enim in angulo Germanię conſtitutus opportunitatem non habui perquirendi cæteros qui noſtro deſunt catalogo: ſed eos qui mihi ad manum erant Alemanis noſtris offero: rogans vt vnuſquiſque ſcriptores ſibi occurrẽtes noſtris adijciat: & ſic demum eruditos plures fuiſſe & eſſe nobiſcum ęmulus diſcat. Nec lateat aliquẽ quod ſcriptores illuſtres omnes inter Germanos poſui, quos fuiſſe Theutonicos inueni. Nam Moſellani & Treuerenſes quanquã Galliæ Belgicæ magnam partem incolant, moribus tamen & lingua Germani ſunt: & idcirco noſtris Alemanis nõ immerito connumerati. De cæteris quoque in circuitu Theutonicis ſimilis teneatur ſententia. Sed de his hactenus: iam ſcribendi ad propoſitum Deo largiente ſumamus exordium.

# LIBER DOMINI IOHANNIS TRITHEMII SPANHEMENSIS ABBATIS, DE LVMINARIBVS SIVE DE ILLVSTRIBVS VIRIS GERMANIÆ: QVÆ PRÆSTANTES INgenio varia ſcripſerunt.

MAXIMVS ſeptimus eccleſiæ Moguntinenſis epiſcopus, vir vita & conuerſatione ſanctiſſimus, & tam in ſecularibus literis quam in diuinis ſcripturis nobiliter eruditus, ingenio promptus, eloquio clarus, actione præcipuus fuit. Qui cum eſſet verbi diuini prædicator facundus & celebris, multos verbo & exemplo ad fidem Chriſti conuertit: non ſolum per ſuam diœceſim, ſed per vicinas quoque extremaſque regiones verbum fidei ſeminando. Hic multas fertur ad diuerſos ſcripſiſſe epiſtolas, pluresque literis commendaſſe omelias: ſed nihil eorum ad manus noſtras venire permiſit antiquitas. Denique contra Arrianos, qui ſuo tempore multa in eccleſia Dei mala fecerunt, nonnulla egregia compoſuit. Claruit apud Moguntiacum temporibus Conſtantini, Conſtantij & Conſtantis Imperatorũ ſub Liberio Papa, Anno Domini trecẽteſimo.LX.

*Maximus ſeptimus eccleſiæ Moguntinenſis epiſcopus.*

PAVLINVS octauus & viceſimus Treuerorum archiepiſcopus, natione quidem aquitanicus, vita tamen & conuerſatione vt plurimum Treueris moratus, beati Maximini Treuerorum archipræſulis diſcipulus, & in baptiſmate filius, vir doctus atque ſanctiſſimus ab Arrianis hereticis pro fide Chriſti in exilium relegatus: apud Phrigiam glorioſa paſſione triumphauit. Scripſit in cauſis catholicæ fidei multas elegantes epiſtolas, in quibus non minus eruditus quã ſanctus apparuit. Sed & alia nonnulla pro fide contra here-

*Paulinus archiepiſcopus Treuerenſis viceſimusoctauus.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ticos edidit. Moritur in Phrigia ſub Conſtantino, Conſtantio & Conſtante. Anno Domini CCC.LVII. indictione XV.

*Bonifacius vel Winfridus primus archiepiſcopus eccleſiæ Moguntinenſis.*

BONIFACIVS qui & Winfridus primus eccleſiæ Moguntinenſis archiepiſcopus monachus ordinis ſancti Benedicti, natione quidem Anglicus ſed conuerſatione & dignitate Alemanus: vir in diuinis ſcripturis doctiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & moribus integer atque ſanctiſſimus: multos ſua erudita prædicatione ad fidem Chriſtianam conuertit, vt merito Germanorum doctor ſit habitus & apoſtolus. Scripſit nonnulla præclara opuſcula, de quibus ego vidi ſubiecta: ad Gregorium papam ſecundum de fide ſanctæ Trinitatis lib. I. Vitam ſancti Lebuini lib. I. Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. De geſtis varijs ſanctorum lib. I. Et quædam alia. Tandem in Phriſia verbum Dei prædicãs martyrio coronatus eſt ſub Pipino rege Francorum. Anno Domini DCC. LV. indictione VIII. epiſcopatus ſui anno XXXVII. nonis Iunias. ſepultus autem in monaſterio Fuldenſi, quod ipſe conſtruxit.

*Walafridus abbas monaſterij S. Galli.*

WALAFRIDVS abbas monaſterij ſancti Galli, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atq; in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, metro excellens & proſa, monarcha diſciplinæ regularis, & multorum pater monachorum: ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula: Vitam ſancti Galli proſaice lib. I. Eandem poſtea metrice lib. I. De officijs quoq; diuinis lib. I. Et varias ad diuerſos epiſtolas, & quædam alia. Claruit circa tempora Tyberij Auguſti. Anno Domini DCC.

*Willibaldus epiſcopus Eyſtetenſis.*

WILLIBALDVS presbyter ſancti Bonifacij & monachus diui patris Benedicti, frater ſanctæ Walpurgis virginis & abbatiſſæ Heydenhemenſis ac poſtea epiſcopus Eyſtetenſis, vir doctus atque ſanctiſſimus, ingenio promptus & dulcis eloquio, ſcripſit iubente ſancto Lullo Maguntino poſt Bonifacium archiepiſcopũ vitam eiuſdem ſanctiſſimi martyris Bonifacij lib. II. Et quaſdam vt fertur ad deuotos ſeruos Dei epiſtolas. Claruit ſub Pipino patre Caroli Magni Imperatoris. Anno Domini DCC.LX.

*Ruggandus epiſcopus Metenſis.*

RVGGANDVS epiſcopus Metenſis Pippini regis ex ſorore nepos, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus: ſeculariumque literarum non ignarus, non minus vita & conuerſatione quam dignitate venerabilis. Scripſit inter cætera ingenij ſui monumenta regulam canonicorum Metenſis Eccleſiæ lib. I. & varias ad diuerſos epiſtolas. Hic corpora ſanctorum martyrum Gorgonij, Naboris & Nazarij de Roma tranſtulit: è quibus corpus ſancti Nazarij in monaſterio Lauriſſa Wormacienſis diœceſis tunc noſtri ordinis in Germania repoſuit. Claruit temporibus Pippini auunculi ſui & Caroli Magni regis, anno Domini DCC.LXX.

*Haymo epiſcopus Halberſtatenſis.*

HAYMO eccleſiæ Halberſtatenſis in Saxonia tertius epiſcopus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in ſecularibus literis nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio acutus, ſermone diſertus, vita & conuerſatione deuotus, in declamandis ad populum omelijs celeberrimæ induſtriæ fuit. Hic primum Fuldenſis cœnobij monachus magiſtri Albini Anglici diſcipulus extitit: à quo in omni diſciplina bonarum artium doctiſſimus euaſit. Deinde proficientibus meritis Hirsfeldenſis cœnobij tertius abbas conſtituitur: & poſtremo æque tertius Halberſtatenſis pontifex eligitur. Scripſit multa & pene infinita volumina, de quibus extant ſubiecta: In quinque libros Moyſi lib. V. in Ioſuæ lib. I. in Iudicum lib. I. in librum Ruth lib. I. in Regum lib. IIII. in Paralipomenon lib. II. in Thobiam lib. I. in Eſdram & Neemiam lib. III. in librum Iudith lib. I. in Heſter quoque lib. I. in Iob lib. I. in Cantica Canticorum lib. I. in Prouerbia Salomonis lib. I. in Eccleſiaſten lib. I. in Eſaiam prophetam lib. III. in Hieremiam prophetam lib. I. in Ezechielem quoque lib. IIII. in Danielem lib. I. in duodecim prophetas minores lib. XII. in Pſalmos lib. I. in Euangelijs omeliarum per circulum anni duo magna volumina lib. II. in omnes epiſtolas Pauli lib. XIIII. in epiſtolas Canonicas lib. VII. in Apocalypſin Iohannis lib. I. De ſancta Trinitate lib. I. De Chriſtianarum rerum memoria lib. X. De varietate librorum lib. III. in actus Apoſtolorum lib. I. Sermones, omelias, epiſtolas & varios tractatus alios compoſuit, ſed in manus noſtras adhuc minime venerunt. Moritur ſub Ludouico Imperatore primo, Anno Domini DCCC. XXXIIII. indictione XII. epiſcopatus ſui anno XIII. ſepultus in eccleſia ſancti Stephani Halberſtatenſi.

*Carolus Magnus Imperator.*

CAROLVS Imperator Magnus Pippini ducis ſecundi & regis filius natione Alemanus ex imperiali caſtro Ingelnhem (vbi vſque hodie camera natiuitatis eius in capellam conſecrata oſtenditur) vir vita & conuerſatione Chriſtianiſſimus & in ſanctorum numerum

rum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum non immerito relatus, in ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus & diſertus, & multarum linguarum cognitione inſignis, græcæ, latinæ & hebraicæ peritus, nequaquam à catalogo illuſtriũ virorum germaniæ reijciendus. Enimuero artes liberales ſtudioſiſſime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus. In diſcenda grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audiuit, in cęteris diſciplinis Albinũ cognomento Alcuinum monachum ordinis ſancti Benedicti & diaconum quondam diſcipulum de Britannia Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctiſſimum præceptorẽ habuit: apud quem & rhetoricæ & dialecticæ præcipue tamen aſtronomiæ addiſcendæ plurimum & temporis & laboris impartiuit. Diſcebat artem computandi, & intentione ſagaci ſyderum curſum curioſiſſime rimabatur. Religionem Chriſtianam qua ab infantia erat imbutus, ſanctiſſime & cum ſumma pietate coluit, & multa pro eius honore diſpoſuit. Eccleſiam & mane & veſpere, item nocturnis horis & ſacrificij tempore quoad eum valetudo permiſerat impigre & cum magna deuotione frequentabat. Bibliothecam in palatio ſuo Aquenſi precioſiſſimam & maxima librorum copia repletam comportauit: quam moriens vendi & in eleemoſynam pauperum diſtribui fecit. Edidit inter cætera ingenij ſui opera multas & varias additiones legum & iurium omniũ nationum quæ ſub ſuo regno & imperio degebant in multis voluminibus. Item iura Saxonum compoſuit, item leges Alemanorum, item leges Francorũ, item multa & varia carmina de geſtis veterũ edidit. Inchoauit etiam grammaticam patrij ſermonis videlicet theutonici ſiue Alemanici: quam alijs occupatus finire non potuit. Huius grammaticæ fragmenta vidi & etiam quædam volumina ſecundum eiuſdem regulas compoſita, de quibus in ſequentibus mentio fiet, cum ad Otfridum Wiſſenburgenſis cœnobij monachum peruenerimus. Multa quoque ad eius iuſſionem volumina per diuerſos edita ſunt: quæ ſuis auctoribus relinquimus. Felix reſpublica cuius princeps tam glorioſus philoſophus erat. Moritur tandem poſt multa ſanctiſſima exercitia in Baſilica beatæ Dei genitricis, quam ipſe ſumptuoſiſſime conſtruxerat, apud Aquaſgrani ſepultus. Anno Domini DCCC. XIIII. indictione VII. V. cal. Februarij, anno ætatis ſuæ LXXII. Regni XLVII.

*Einhardus Caroli Magni Cancellarius.*

EINHARDVS prædicti Caroli Imperatoris Magni quondam cancellarius, & poſtea monachus ordinis diui patris Benedicti, & primus abbas monaſterij Selgenſtatenſis Moguntinæ diœceſis ſupra Mogonum, vir in ſecularibus literis eruditiſſimus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio acutus, eloquio diſertus, vita & conuerſatione præcipuus, græce ac latine peritus, & tam metro quam proſa excellens: inter cætera ingenij ſui opuſcula Pſalterium Gallicanum abbreuiauit excerpens de illo omnes verſus orationis verba habentes. Scripſit etiam tam ex perſona ſui quam Imperatoris multas elegantes & vtiles epiſtolas ad diuerſos in varijs negocijs & cauſis. Geſta quoque Caroli Imperatoris lib. I. Notabilem inſuper hiſtoriam temporum de geſtis Germanorum & Francorum lib. I. Et quædam alia quæ ad nos minime venerunt. Claruit ſub Carolo Imperatore magno & Ludouico filio eius, anno Domini, DCCC. XX.

*Freculphus Epiſcopus Lexouienſis.*

FRECVLPHVS Epiſcopus Lexouienſis, monachus quondam Fuldenſis, ordinis diui patris Benedicti Albini diſcipulus, ad quem Rabanus abbas Fuldenſis multis voluminibus exercitauit ingenium, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus, atque in docenda plebe ſatis idoneus: nec minus conuerſatione quam ſcientia inſignis: fertur quædam præclara ſcripſiſſe opuſcula. De quibus extant ſeptem volumina ad Heliſacharum ab exordio mundi vſque ad natiuitatem ſaluatoris rerum geſtarum tam gentilium quam Iudæorum continentia hiſtoriam. In quo etiam opere multas diuinarum ſcripturarum difficiles quæſtiones ſubtiliter enodauit. Scripſit inſuper ad diuerſos & elegantes & varias epiſtolas, quarum ad Rabanum aliquas legiſſe me memini. Sed & alia nõnulla edidit, quæ nos latent. Claruit ſub imperio Ludouici primi, filij Caroli magni anno Domini, DCCC. XL.

*Hamularius Treuerorum archiepiſcopus.*

HAMVLARIVS Fortunatus tertius & ſexageſimus à ſancto Euchario Treuerorum archiepiſcopus, & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ (vt ferunt) cardinalis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, græcæ ac latinæ peritus, ſcripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula. De quibus feruntur ſubiecta: De diuinis officijs. lib. I. Ad Ludouicum Imperatorem de eadem re, lib. VII. De myſterijs ſacris lib. I. Variæ quoque ad diuerſos epiſtolæ. Hic per Carolum Imperatorem ad Conſtantinopolim miſſus ad Michaelem Imperatorem Græcorum: ſua mira-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bili ſapientia & induſtria pacem & amicitiam inter eos & veram & perpetuam compoſuit & firmauit. Claruit ſub Carolo Magno & Ludouico eius filio Imperatoribus. Anno Domini DCCC.X.

*Rabanus Maurus archiepiſcopus Maguntinenſis.*

RABANVS MAVRVS Magnentius poſt ſanctum Bonifacium ſextus archiepiſcopus Maguntinenſis patria Thoringus ex ciuitate Fuldenſi oriundus: Albani diſcipulus. primum monachus Fuldenſis cœnobij factus, cum adhuc puer eſſet decem annorum: omne deinceps ſtudium ad ſcientiam conuertit ſcripturarum: in omni eruditione tam ſecularium quam diuinarum ſcripturarum longe doctiſſimus euaſit: philoſophus clarus, poeta inſignis, rhetor facundus, aſtronomus & computiſta celeberrimus, græcæ, latinæ & hebraicæ peritus: cui ſimilem ſuo tempore non habuit eccleſia. Deinde ſuccreſcentibus meritis anno ætatis ſuæ quinto & triceſimo omnium fratrum ſuffragio eiuſdem cœnobij abbas electus eſt: & præſidens regimini annis quatuor & viginti, multa & pene infinita conſcripſit volumina. Demum poſt mortem Otgarij Moguntinenſis archiepiſcopi eiuſdem eccleſiæ Pontifex conſecratus eſt, & annis nouem in præſulatu ſedens multa bona fecit eccleſiæ. De cuius opuſculis ſubiecta feruntur: Ad Freculphum epiſcopum. in Geneſim lib. IIII. in Exodum lib. IIII. in Numeros, lib. IIII. in Leuiticum lib. IIII. in Deuteronomium lib. IIII. in Ioſuæ lib. II. in Iudicum lib. II. in librum Ruth lib. I. in Regum ad Hildeuinum abbatem ſancti Dionyſij lib. IIII. in Paralipomenon quoque lib. IIII. in Eſdram & Neemiam lib. III. in Thobiam lib. I. in librum Iudith lib. VII. in librum Heſter lib. I. in Iob quoq; lib. I. in Pſalmos lib. I. in Prouerbia Salomonis lib. I. in Eccleſiaſten lib. I. in Cantica Canticorum lib. I. in librum Sapientiæ lib. III. in Eccleſiaſticum lib. X. in Eſaiam Prophetam lib. VIII. in Hieremiam prophetam lib. XX. in Ezechielem quoque prophetam lib. XX. in Danielem prophetam lib. III. in duodecim prophetas minores lib. XII. in libros Machabeorum lib. III. in Euangelium Matthei lib. VIII. in euangelium Lucæ lib. III. in euangelium Marci lib. IIII. in euangelium Iohannis lib. II. in omnes epiſtolas Pauli lib. XXIII. in epiſtolas Canonicas lib. VII. in Actus Apoſtolorum lib. I. in Apocalypſin Iohannis lib. I. De ſanctiſſimæ Trinitatis fide lib. I. De laude quoque ſanctæ crucis mirabilis ingenij opus lib. II. Ad Baymonem epiſcopum de vniuerſo vel etymologiarum lib. XXII. De natura quoque vniuerſali lib. I. ad Haiſtulphum epiſcopum de inſtitutione clericorum lib. III. De diuinis officijs lib. I. De computo eccleſiaſtico lib. I. Ad Ludouicum Imperatorem lib. I. De quæſtionibus canonum lib. I. Ad Regenbaldum epiſcopum lib. I. De benedictionibus patriarcharum lib. I. Omeliarum & ſermonum totius anni lib. II. Epiſtolarum quoque ad diuerſos lib. I. Sed & varia epigrammata compoſuit, & multos in literis humanitatis tractatus, qui ad manus noſtras adhuc minime venerunt. Moritur ſub Lothario Imperatore, anno domini octingenteſimo, quinquageſimo quinto, indictione tertia, ætatis ſuę anno LXVIII. epiſcopatus nono completo. Sepultus in monaſterio ſancti martyris Albani prope Moguntiam tunc ordinis S. Benedicti.

*Strabus monachus cœnobij Fuldenſis.*

STRABVS monachus Fuldenſis Rabani ſupradicti abbatis quondam diſcipulus & notarius, vir certe ipſe doctiſſimus, & tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis ad plenum inſtructus, theologus, philoſophus, & poeta celeberrimus: ingenio promptus & clarus eloquio: ſcripſit nonnulla in ſacris voluminibus opuſcula: quibus memoriam ſui poſteritati commendauit. Sed pauca eorum ad noticiam meam peruenerunt. Feruntur autem pręcipue commentariorum in Geneſim lib. I. in Exodum quoque lib. I. in Leuiticum lib. I. & alia multa. Iſte Strabus vir ſtudioſiſſimus gloſſam quam magiſtralem ſiue ordinariam vocant ſuper totam Bibliam primus comportauit ex dictis ſanctorum patrum: quam alij poſtmodum adiunctis quibuſdam ampliarunt. Claruit ſub Ludouico & Lothario Imperatoribus, anno Domini DCCC.LX.

*Lupus Seruatus preſbyter.*

LVPVS Seruatus presbyter (ad quem ſanctus Rabanus abbas Fuldenſis octo libros in epiſtolam Pauli ad Romanos ſcripſiſſe legitur) vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus, ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula librum de tribus quæſtionibus, id eſt de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & de ſanguine Chriſti quadam ſuperflua taxatione vel redemptione vſque ad ſalutem impiorum. Nam ſuper hac re orta fuit quædam turbatio fidei in eccleſia anno Domini DCCC. XLIX. Alia inſuper nonnulla edidit: ſed ad noticiam meam non venerunt. Claruit cum Rabano ſub Lothario Imperatore, anno Domini DCCC.L.

NOTGE-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Notgerus ex abbate episcopus Leodiensis.*

NOTGERVS epiſcopus Leodienſis ex abbate monaſterij ſancti Galli, Rabani quõdam familiariſſimus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularium literarum diſciplinis omnium ſui temporis facile doctiſſimus, philoſophus, poeta, muſicus, aſtronomus & theologus celeberrimus, nec minus conuerſatione quam ſcientia venerabilis, ſcripſit multa & præclara & neceſſaria opuſcula, quibus nomẽ ſuum ad multorum notitiam tranſmiſit. E quibus pauca in noticiam noſtræ lectionis peruenerunt. Vidi opus originale proſarum ſiue ſequentiarum per circulum anni de feſtis, quod ſcripſit ad Lutuardum epiſcopum Vercellenſem Caroli magni Imperatoris archicapellanum lib. I. ad Salomonem poſtea Conſtantienſis eccleſiæ pontificem de præcipuis ſacræ Scripturæ expoſitoribus lib. I. de muſica & ſymphoniarum modis lib. I. epiſtolarum ad diuerſos lib. I. ſermones & omelias varias compoſuit. Et quoſdam ſacræ Scripturæ libros eleganter expoſuit, aliaque multa ſcripſit. Huius Notgeri adhuc monachi apud ſanctum Gallum Nicolaus papa primus ſequentias confirmauit: & in miſſa decantari conceſſit. Scripſit multos & varios hymnos, cantus, antiphonas & reſponſoria quæ vſque hodie in eccleſiæ Dei frequentantur laudibus. Claruit in epiſcopatu ſub Lothario Imperatore Anno Domini DCCCL.

*Salomon epiſcopus Conſtantienſis.*

SALOMON epiſcopus Conſtantienſis ex monacho cœnobij ſancti Galli, ordinis diui patris Benedicti, ſupra nominati Notgeri quondam auditor atque diſcipulus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus: metro exercitatus & proſa, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, nec minus conuerſatione quam ſcientia venerandus. Scripſit de ſeptem artibus quas liberales vocant librum vnum. Vocabularium quoq; non ſpernendum librum vnum. Epiſtolarum ad diuerſos librum I. ſermones quoque multos, varioſque tractatus condidiſſe dicitur, qui ad manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Lothario Imperatore Anno Domini, DCCCL.

*Wandelbertus diaconus cœnobij Prumienſis.*

WANDELBERTVS diaconus & monachus Prumienſis cœnobij ordinis ſancti Benedicti, in diœceſi Treuirenſi, vir tam in diuinis Scripturis quam in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio acutus, & diſertus eloquio, philoſophus, rhetor, & poeta doctiſſimus, ſcripſit inter alia ingenij ſui opuſcula, ad Marquardum abbatem, vitam ſancti Goaris presbyteri, librum vnũ. De miraculis eiuſdẽ ſanctiſſimi viri librum vnum. Martyrologium metrice perpulchrum compoſuit. Alia quoque plura edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit temporibus Lotharij & Ludouici Imperatorum, Anno Domini, DCCCLX.

*Chriſtianus Druthmarus monachus & presbyter.*

CHRISTIANVS qui & Druthmarus monachus & presbyter monaſterij Corbeienſis (natione quidem Aquitanicus) ſed conuerſatione germanus, vir certe vndecunque doctiſſimus, græcæ & latinæ peritus, ſcripſit inter alia ingenij ſui monumenta ad monachos Stabulenſes & Malmondarienſes magnum & inſigne volumen in Euangelium Matthæi, lib. I. ſermones quoque multos & omelias varias librum vnum, & alia multa quæ non vidi. In prologo expoſitionis Matthæi promittit ſe in alios quoque euangeliſtas ſcripturum, quod & feciſſe dicitur, quamquam nihil eorum ad notitiam lectionis noſtræ peruenerit. Hic de Aquitania veniens nomen ſuum in Germania & Gallia ſcribendo notificauit. Claruiſſe eum exiſtimo temporibus Ludouici primi Imperatoris. Anno Domini, DCCCXXX.

*Otfridus monachus cœnobij Wiſſenburgenſis.*

OTFRIDVS monachus Wiſſenburgenſis cœnobij ordinis ſancti Benedicti Spirenſis diœceſis, Rabani Mauri abbatis Fuldenſis quondam auditor atque diſcipulus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus, rhetor, aſtronomus, poeta, & theologus, nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio excellens & diſertus eloquio: ſcripſit & metro & proſa multa præclara volumina: quibus nomen ſuum & ingenium ad poſteros tranſmiſit. Ex eo volumine quo Carolus Imperator quondam magnus barbariem theutonicæ noſtræ linguæ ad regulas inchoauit reducere grãmaticales edoctus, multa & mirãda lingua materna ſecundũ eaſdem regulas cõpoſuit metro ſeu carmine, quæ nemo facile noſtra ætate legere & intelligere poteſt, quantumcunq; ſermonis noſtri peritus: quippe cum ſermo ille regulatus à noſtro plus differat, quam Ebruſcus à latino. Mirabile tamen eſt & lectione dignum quicquid vir iſte compoſuit, dum in theutonico ſermone regulas poſuit, & quaſi in verſibus pedes & numeros cuſtodiuit. Ex cuius opuſculis extant ſubiecta. Ad Luitbertum octauum Moguntinæ eccleſiæ archiepiſcopum, in quatuor euangelia ſecundum prædictas regulas metricum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

opus magnum & admirandum, quod prænotauit, gratiam theotiſce, libro 5. ad Ludouicum regem lib.1 ad Salomonem Conſtantienſem epiſcopum lib.1. ad monachos ſancti Galli lib.1. in pſalterium tria magna volumina eodem genere ſermonis. Item de extremo iudicio lib.1. De gaudijs quoque regni cæleſtis lib.1. Sermones & omelias tam de tempore quam de ſanctis edidit lib.2. epiſtolarum ad diuerſos lib.1. epigrammata multa in vtraque lingua vario genere metri lib.2. alia quoque multa edidit quæ priorum negligentia perdita, & ignorantia monachorum abbatumque deſidia raſa & lacerata in manus noſtras non venerunt. Claruit temporibus Ludouici & Lotharij imperatorum Anno domini, DCCCLXX.

*Franco epiſcopus Leodienſis.*

FRANCO epiſcopus Leodienſis, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus & in ſtudio ſecularium literarum egregie doctus, philoſophus, rhetor, poeta, & muſicus excellens, ingenio acutus, ſermone diſertus, vita & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus, pluribus annis publicæ ſcholæ præfuit: & multos in omni ſcientia diſcipulos doctiſſimos enutriuit. Scripſit inter alia ingenij ſui opuſcula, ſermones & multos & valde vtiles pro ædificatione fidelium lib.1. ad Hermannum quoque Colonienſem archiepiſcopum de quadratura circuli lib.1. de computo eccleſiaſtico lib.1. epiſtolarum quoque ad diuerſos lib.1. cantus denique multos, antiphonas, legendas & reſponſoria in honorē ſanctorum dulci & regulari melodia compoſuit. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur: quæ ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt.

*Werenbertus monachus apud S. Gallum,*

WERENBERTVS monachus apud ſanctum Gallum ordinis diui patris Benedicti Rabani Mauri Fuldēſis, quondam auditor atq; diſcipulus, vir in diuinis Scripturis eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus clarus, poeta inſignis, græci ſermonis non ignarus, ſcripſit pro ædificatione legentium multa præclara volumina, quibus talentum ſibi commiſſum à domino cum ingenti lucro reportauit. Sermones & multos & elegantes compoſuit lib.1. epiſtolarum quoque ad diuerſos lib.1. epigrammaton diuerſi generis metri lib.1. in euangelijs quoque lib.4. Hymnos etiam & cantus in honore domini noſtri Ieſu Chriſti & ſanctorum varios compoſuit. Cætera quæ ſcripſiſſe dicitur (etſi multa ſunt) ad noticiam meam minime venerunt. Claruit ſub Ludouico imperatore ſecundo. Anno Domini, DCCCLXX.

*Hartmundus monachus monaſterij S. Galli.*

HARTMVNDVS monachus eiuſdem monaſterij ſancti Galli ordinis beati patris noſtri Benedicti Rabani Mauri quondam auditor atque diſcipulus, (ad quem Otfridus Wiſſenburgenſis monachus multis epiſtolis exercitauit ingenium) vir vndecunque doctus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & conuerſatione deuotus, græcæ, latinæ & hebraicæ peritus, adde & arabicæ non ignarus: ſcripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, ſed nihil eorum ad noticiam noſtræ lectionis memini perueniſſe. Feruntur autem ſuper quibuſdam Bibliorum libris commentarij eius non abijciendi, item epiſtolarum ad diuerſos lib.1. ſermones quoque, cantus, hymni, & varij in ſcripturis ſanctis tractatus, quos ſtudioſus quiſque inquirat. Claruit temporibus Lotharij & Ludouici filij eius imperatorum, Anno Domini DCCCLXX.

*Stephanus epiſcopus Leodienſis.*

STEPHANVS epiſcopus Leodienſis poſt Franconem, vir in diuinis Scripturis doctus & in ſecularium literarum diſciplinis magnifice peritus: ingenio promptus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit non ſpernendæ lectionis quædam præclara opuſcula: quibus memoriam ſui poſteris commendauit. De quibus ego tantum repperi: Vitam ſancti Lamperti pontificis & martyris lib.1. ad epiſcopum quoque Metenſem lib.1. ſermones etiam multos & elegantes compoſuit, & plures ad diuerſos epiſtolas. Officium quod de ſancta Trinitate in octauis Pentecoſtes annue cantamus, ex volumine Albini Stephanus iſte compoſuit, & dulci melodia regulauit. Sed & de ſancta cruce, de ſancto Lamperto martyre aliiſque multis cantum pulchra venuſtate ordinauit.

*Ratbodus Traiectenſis eccleſiæ epiſcopus.*

RATBODVS eccleſiæ Traiectenſis epiſcopus quartusdecimus, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & ſecularium literarū non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus, multis & viuus & defunctus miraculis corruſcauit. Hunc in bonis literis Nanno philoſophus doctiſſimus inſtituit: à quo in omni ſcientia eruditiſſimus euaſit. Contempto deinde mundo, pro Dei amore noſtrum ordinem ingreſſus eſt, & poſtremo præfatæ vrbis epiſcopus ordinatus, ſub graui perſequutione Danorum annis decem & ſeptem præfuit. Scripſit autem in laudibus ſanctorum nonnulla præclara opuſcula, de quibus ego tantum repperi ſubiecta: Laudes ſancti Martini epiſcopi Thuronenſis lib.1. laudes ſancti Bonifacij Moguntini archiepiſcopi & martyris lib.1. laudes ſancti Willibrordi epiſcopi lib.1. laudes ſanctæ Amalbergæ virginis lib.1. ſermones &

tomos varios & elegantiſſimos lib.1. epiſtolas etiam exhortatorias ſcripſit ad diuerſos. Officium quoque de translatione ſancti Martini dulci modulatione compoſuit: & varios cantus in honorẽ ſanctorum, & quædam alia quæ nos latent. Moritur ſub Conrado Imperatore Anno Domini DCCCCXVII. indictione V. tertio Cal. Decembris, epiſcopatus ſui Anno XVIII. Dauantriæ ſepultus.

*Regino abbas Prumienſis.*

REGINO abbas monaſterij Prumienſis ordinis diui patris Benedicti, in diœceſi Treuerorum, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione deuotus, facile inter doctores ſui temporis obtinuit principatum. Scripſit ad Adelberonem Metenſem epiſcopum hiſtoriam de geſtis Francorum & Theutonicorum à natiuitate Chriſti vſque ad ſua tempora lib.10. Iubente Ratbodo archiepiſcopo Treuerorum comportauit ex decretis & ſententijs patrum & generalium conſiliorum opus canonum inſigne, quod prænotauit, de eccleſiaſtica diſciplina & religione Chriſtiana in duobus voluminibus lib. 2. ſermones quoq; & multos & elegantes compoſuit libr.1. epiſtolas quoque ad diuerſos, libr.1. & alia complura quæ ad notitiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit temporibus Arnoldi Imperatoris. Anno Domini DCCCCX.

*Windichinus monachus Corbeienſis.*

WINDICHINVS monachus Corbeiẽſis in Saxonia ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis Scripturis doctus, & in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio promptus & clarus eloquio, metro excellens & proſa, ſcripſit vtroque ſtylo multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati conſecrauit. E quibus ego tantum repperi ſubiecta. Ad Mechtildam filiam Ottonis primi de geſtis Saxonum, lib.3. ad eandem geſta Ottonis primi lib.1. ſermones ad fratres lib.1. epiſtolarum ad diuerſos lib.1. vitã diui Pauli primi Heremitæ proſaice & metrice li.2. paſſionem quoque Teclæ virginis ſimiliter metrice lib.1. epigrammaton lib.1. alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur: quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Ottonis Imperatoris primi, Anno Domini DCCCCL.

*ROSVIDA monaſterij Gandeshemenſis ſanctimonialis virgo.*

ROSVIDA monaſterij Gandeshemenſis in Saxonia ſanctimonialis virgo, nobilis, ordinis diui patris Benedicti, in diuinis Scripturis ſtudioſa & erudita, ſeculariumque literarum diſciplinis probe imbuta, ingenio præſtans & clara eloquio, nec minus conuerſatione quam eruditione inſignis, ſcripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, quibus (ſexum ingenio ſuperans) nomen ſuum cum ingenti gloria tranſmiſit ad poſteros. Ex his ego legi ſubiecta: Ad Gerbergam abbatiſſam heroico carmine de vita & conuerſatione intemeratæ Dei genetricis & virginis Mariæ librum vnum. de aſcenſione domini eodem carmine lib.1. item de ſancto Gangolfo lib.1. de paſſione ſancti Pelagij martyris his temporibus in Corduba paſſi lib.1. de lapſu Theophili vicedomini & eius pœnitentia lib.1. de lapſu cuiuſdam iuuenis per ſanctum Baſilium conuerſi, lib.1. de paſſione ſancti Dionyſij epiſcopi & martyris, lib.1. de paſſione ſanctæ Agnetis virginis lib.1. omnia prædicta eleganti carmine compoſuit. Scripſit præterea ſex comœdias ſtylo imitata Terentium, quarum prima inſcribitur conuerſio Gallicani principis: paſſionem includens Iohannis & Pauli martyrum. Secunda eſt de paſſione Agapis, Chioniæ & Hirenæ virginum. Tertia de reſuſcitatione Calymachi & Druſianæ per ſanctum Iohãnem. Quarta de lapſu & conuerſione Mariæ neptis Abrahæ Heremitæ. Quinta inſcribitur conuerſio Thayde meretricis. Sexta vero paſſionem recitat ſanctarum virginum, Fidei, Spei, & Charitatis. Scripſit etiam metrice geſta Ottonis Imperatoris primi, lib.1. epigrammatum diuerſorum lib.1. & quaſdam non inelegantes epiſtolas. Cætera quæ compoſuit ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt. Claruit temporibus Ottonis primi & ſecundi clariſſimorum Imperatorum, Anno Domini DCCCCLXX.

*Smaragdus abbas S. Michaelis in Saxonia.*

SMARAGDVS Abbas monaſterij ſancti Michaelis in Saxonia ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio acutus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus, & regularis diſciplinæ moderator celeberrimus, in exponendis Scripturis ſanctis nomen ſuum longe lateque innotuit, & magnam eruditionis famam obtinuit. Scripſit enim multa præclara volumina, de quibus extant ſubiecta. In regulam ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti lib.1. in totum Pſalterium lib.1. in epiſtolas & Euangelia per circulum anni libr.2. ſermones ad fratres & alios lib.1. opus quoque inſigne de virtutibus: quod prænotauit Diadema monachorum lib.1. ſuper Donato maiore commentum fecit non abiiciendum. Alia quoque multa tam in diuinis quam in ſecularibus ſcripturis volumina ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt.

*Radulphus monachus Fuldenſis.*

RADVLPHVS monachus cœnobij Fuldenſis ordinis diui patris Benedicti Herbi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

polenſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in omnibus literis ſecularium ſtudiorum doctiſſimus philoſophus, rhetor, poeta, & theologus inſignis, græce & latine peritus, ingenio ſubtilis, ſcientia profundus, eloquio dulcis, ornatus & diſertus, in exponendis ſcripturis diuinis excellentiſſimus. Scripſit inter cætera ingenij ſui opera: In Leuiticum, opus celeberrimum & valde vtile lib.20. in epiſtolas Apoſtoli Pauli lib.14. Hiſtoriam quoque Francorum Regum & principum lib.1. Chronicon quoque ſuorum temporum lib.1. Epiſtolarum ad diuerſos lib.1. ſermones varios lib.1, & diuerſi generis multa carmina. In multos Bibliorum libros commentarios elegantiſſimos feciſſe legitur; aliosque plures ſcripſiſſe tractatus, qui ad nos minime venerunt.

*Aribo Moguntinenſis archiepiſcopus decimus nonus.*

ARIBO Moguntinenſis Eccleſiæ 19. archiepiſcopus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & ſecularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & dulcis eloquio, ſcripſit inter alia ingenij ſui monumenta opus pulcherrimum ſuper 15. Pſalmis graduum lib.1. & varias epiſtolas ad diuerſos. Hic celebrata ſynodo in monaſterio Selgenſtatenſi cum epiſcopis & Abbatibus ſuis, Anno Domini M.XXIII. indictione 6. multa bona & vtilia conſtituit, quæ in ſcripturis auctenticis habentur. Huic ſynodo Burckhardus Wormacienſis epiſcopus vir doctiſſimus (cuius ſtatim mentio fiet) perſonaliter interfuit. Ad hunc Aribonem Archiepiſcopum eo quod eſſet amator literarum, & doctorum multi viri celebres ſua ingenia exercitantes varia opuſcula perſcripſerunt. Moritur ſub Conrado Imperatore, Anno Domini M.XXXI. indictione 14. epiſcopatus vero ſui Anno XII.

*Burckhardus epiſcopus Wormacienſis.*

BVRCKHARDVS ex monacho ordinis ſancti Benedicti Wormacienſis ſeu Wangionum epiſcopus: Alberti Gemblacenſis abbatis viri doctiſſimi quondam auditor atque diſcipulus (cuius Gratianus in decretis meminit LXXIII. diſ. In nomine Domini) vir certe tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit ad ædificationem eccleſiæ quædam præclara volumina: quibus nomen ſuum & præſentibus & poſteris commendauit. Ex his vidi volumen illud magnum, & inſigne opus decretorum in viginti libris diſtinctum: quo ante compilationem Gratiani monachi Iuriſtarum vtebatur induſtria. Scripſit etiam ad diuerſos multas elegantes epiſtolas. Cætera quæ compoſuit, ad me non venerunt. Claruit temporibus Henrici primi Anno Domini M.XX.

*Berno abbas Augienſis.*

BERNO abbas Augienſis cœnobij, ordinis ſancti Benedicti Conſtantienſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus, rhetor & muſicus celeberrimæ opinionis, nec minus vita quam eruditione præclarus. Scripſit non ſpernendæ lectionis plura opuſcula: de quibus ſubiecta feruntur. Ad Piligrinum archiepiſcopum Colonienſem egregium volumen de muſica, cuius originale apud nos eſt lib.1. de inſtrumentis quoque muſicæ lib.1. ad Aribonem ſupradictum archiepiſcopum Moguntinum, de aduentu Domini lib.1. de officio Miſſæ lib.1. De ieiunio quatuor temporum lib.1. de ieiunio ſabbati lib.1. de menſura monochordi lib.1. epiſtolarum ad diuerſos lib.1. Sermones quoque ad fratres. Et alia complura. Claruit temporibus ſancti Henrici Imperatoris primi ſed regis ſecundi. Anno Domini M.XX.

*Adelboldus epiſcopus Traiectenſis.*

ADELBOLDVS epiſcopus Traiectenſis ex monacho ordinis diui patris Benedicti (ſub cuius nomine Herigerus abbas Lobienſis dialogum de aduentu domini compoſuit) vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus atque in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & conuerſatione præcipuus, & ob eas virtutes in curia ſancti Henrici Imperatoris, magno in precio habitus. Scripſit nonnulla haud contemnendæ lectionis opuſcula, quibus nomen ſuum poſteris notificauit. E quibus extat, vita & geſta eiuſdem ſancti Imperatoris Henrici lib.1. de laudibus ſanctæ crucis lib.1. de laudibus quoque ſanctæ Mariæ lib.1. varios etiam ſermones in laude ſanctorum edidit. Et alia multa tam metro quam proſa quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur ſub Conrado Imperatore ſecundo. Anno Domini M.XXVII. indictione X. epiſcopatus ſui anno XVIII. 5. Cal. Decembris.

*Bruno epiſcopus Herbipolenſis.*

BRVNO epiſcopus Herbipolenſis Conradi Imperatoris ſecundi patruelis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio præſtans, eloquio dulcis & ornatus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus; quippe qui multis & viuus & defunctus, miraculis corruſcauit. Scripſit & comportauit ex dictis antiquorum patrum non ſpernendum opus ſuper toto Pſalterio, textumque in multis antea vitiatum mirabili ſcientia correxit. Si quid amplius ſcripſit, ad me non peruenit. Moritur ſub Henrico Imperatore ſecundo Anno Domini M.XLV. indictione XIII. Sexto Cal. Iunij, & in ſanctorum numero relatus eſt.

ADEL-

*Adelmannus Brixinenſis epiſcopus.*

ADELMANNVS Grammaticus ex clerico Leodienſis eccleſiæ, Brixinenſis Epiſcopus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis non mediocriter doctus, philoſophus, poeta & Dialecticus ſuo tẽpore famoſus, carmine excellens & proſa. Scripſit gemino ſtylo quædam non ſpernenda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extat libellus non iniucundus de corpore & ſanguine Domini, ad Berengarium Turonenſem, quondam apud Fulbertum Carnotenſem condiſcipulum ſuum, iam tunc errores de hac re dogmatizare incipientem, in quo multis ſcripturarum teſtimonijs contra eum nititur. De eadem re ad Paulinum Primicerium Metenſem epiſtolam dedit. Ad diuerſos epiſtolas multas ſcripſit. Et quædam alia. Claruit ſub Henrico tertio, Anno Domini M. XL.

*Ratbertus Paſcaſius abbas Corbeienſis.*

RATBERTVS Paſcaſius abbas Corbeienſis ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, Græci & Latini ſermonis clarus interpres, non minus vita quam ſcientia venerandus. Scripſit ad Placidum quendam noſtri ordinis Abbatem opus inſigne de Sacramento altaris lib. I. vitam quoque ſancti Adelhardi epiſcopi lib. I. in Threnos Hieremiæ prophetæ lib. I. & alia complura mihi incognita. De Græco in latinum nonnulla transfudit ſermonem. Claruit temporibus Caroli Groſſi principis, Anno Domini DCCCCLXXX.

*Theodericus monachus cœnobij S. Matthiæ Apoſt. prope Treuerim.*

THEODERICVS monachus cœnobij ſancti Matthiæ Apoſtoli prope Treuerim ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio. Scripſit inter cætera ſtudij ſui monumenta, de inuentione ſancti Celſi. lib. I. de miraculis eiuſdem ſancti libr. I. ſermones multos in honorẽ ſanctorum lib. I. alia quoque nonnulla edidit quæ ad notitiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit ſub Ottone Imperatore tertio, Anno Domini M.

*Theodericus archiepiſcop. Treuerorum.*

THEODERICVS Archiepiſcopus Treuerorum poſt ſanctum Eucharium ſecundus & ſeptuageſimus, ex præpoſito maioris Eccleſiæ Moguntinenſis, vir ſtudioſus & eruditus, & in agendis negotijs Eccleſiaſticis præſtantis induſtriæ. Scripſit de laudibus beatiſſimæ Dei genitricis & virginis Mariæ lib. I. vitam quoq; ſanctæ Lindrudis lib. I. & quædam alia. Sub huius Theoderici pontificatu, canonici maioris Eccleſiæ Treuerenſis deſierunt eſſe regulares. Claruit temporibus Ottonis ſecundi & tertij Imperatorum, Anno Domini DCCCCXC. Sepultus eſt Moguntiæ in Eccleſia ſancti Gingolfi quam ipſe pro XII. fratribus conſtruens dotauerat.

*Remigius abbas cœnobij S. Luthuini Mediolacenſis.*

REMIGIVS monachus & abbas cœnobij ſancti Luthuini Mediolacenſis, ordinis diui patris Benedicti Treuerenſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus, atque in ſecularibus literis nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & conuerſatione deuotus, philoſophus, poeta, & muſicus omnium ſuo tempore longeclariſſimus: tantæ ſcientiæ & eruditionis fuit, vt ex omni Germania & Gallia diſcipulos clariſſimos ſuo magiſterio inſtituendos ſubdiderit, è quibus multi ad Eccleſiaſticum regimen in diuerſis mundi regionibus leguntur aſſumpti, alij in Abbates, alij in Epiſcopos conſecrati. Scripſit multa præclara opuſcula, quibus ſuum nomen poſteris notificauit. In quinque libros Moyſi, in Euangelium non inutiles commentarios, in Apoſtolum quoque Regulas fecit de viſione Abaci lib. I. Excerptionem quoque Priſciani lib. I. ſuper Donato commentum lib. I. iubente Eckeberto Treuerorum archiepiſcopo cantum de ſanctis Euchario, Valerio & Materno dulci & regulari modulatione compoſuit & homeliam cum eleganti ſermone coniunxit. Rogantibus etiam duobus monachis Blandinienſis cœnobij diſcipulis ſuis, cantum de ſancto Bauone compoſuit nocturnalem. Sermones multos in honorẽ ſanctorum, cantuſque & legendas edidit, in quibus omnibus ſe virum doctiſſimum oſtendit. Compoſuit inſuper Letanias & Antiphonas quæ in rogationibus à clero frequentantur. Sed & alia multa edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Huic Remigio Imperator Otto camœnam gracilem miſiſſe legitur, ob ſuauitatem muſicæ in eo iam probatæ. Claruit temporibus Ottonis tertij, Anno Domini M.

*Golſcherus monachus cœnobij S. Matthiæ prope Treuerim.*

GOLSCHERVS monachus cœnobij ſancti Matthiæ Apoſtoli prope Treuerim, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & longa exercitatione peritus, atque in ſecularium literarum ſcientia non mediocriter doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, in declamandis homelijs ad populum probatæ induſtriæ fuit. Scripſit de laudibus ſancti Eucharij primi Treuerorum Archiepiſcopi libr. I. de laudibus

quoque ſancti Valerij lib.1. de laudibus ſancti Materni epiſcopi lib.1. ſermones de laudibus ſanctorum multos lib.1. Geſta quoque Treuerorum lib.1. Alia denique nonnulla cõpoſuit, quæ ad noticiam noſtræ lectionis non venerunt.

*Hermannus Contractus, monachus,*

HERMANNVS qui dicebatur Contractus, monachus cœnobii ſancti Galli, ordinis diui patris noſtri Benedicti, filius Comitis de Veringen apud Sueuos, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis omnium doctorum ſui temporis doctiſſimus, philoſophus, rhetor, aſtronomus, poeta, muſicus, & theologus celeberrimus, trium linguarum, Græcæ, latinæ & Arabicæ peritiſſimus, atque Hebraicæ non ignarus, metro excellens & proſa, vita quoque & conuerſatione deuotiſſimus. Scripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. De quibus ſubiecta feruntur: De muſica lib.1 de monochordo lib.1. de ſex ætatibus mundi lib.1 de aſtronomia lib.1. de cõpoſitione aſtrolabij lib.3. de vtilitatibus aſtrolabij lib.1. de ecclipſibus ſolis & lunæ lib.1. de computo lib.1. de quadratura circuli lib.1. de conflictu Rythmimachiæ lib.1. de phyſionomia quoque lib.1. vitas plurium ſanctorum patrum elegantiſſimo ſtylo compoſuit. Epiſtolas quoque multas ad diuerſos libr. 1. diuerſi generis edidit pene infinita carmina. Hymnos quoque & cantus in honorem ſanctorum dulciſſima modulatione multos cõpoſuit. E quib. eſt illa de beata Dei genetrice Antiphona, ſalue regina. Et illa: Alma redemptoris, cum multis alijs. Tranſtulit etiam nonnulla Græcorum & Arabum volumina in latinum, ſicut per ſe fatetur in præfatione quadam Ariſtotelis. Cuius meriti Hermannus iſte coram Deo fuerit, & quantam ei beatiſſima virgo Maria gratiam præſtiterit, in ſecundo libro illuſtrium virorum ordinis noſtri me iam ex parte memini deſcripſiſſe licet paucis & breuibus. Claruit tẽporibus Henrici Imperatoris tertij. Anno Domini M.XL.

*Helpericus monachus.*

HELPERICVS monachus eiuſdem cœnobij ſancti Galli ordinis diui patris Benedicti, vir & ipſe in diuinis Scripturis multum eruditus, atque in ſecularibus literis doctiſſimus, philoſophus, aſtronomus, & poeta celeberrimus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, nec minus vita quam eruditione inſignis. Scripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, ſed pauca eorum ad manus noſtras peruenerunt. Vidi enim duntaxat & legi librum clariſſimum quem de computo Eccleſiaſtico edidit. Et alium de muſica prænotatum. Sed & quædam carmina. Cætera quæ compoſuit ad manus noſtras non venerunt. Claruit eodem tempore quo Hermannus Contractus. Anno Domini M. XL.

*Rogerius monachus,*

ROGERIVS monachus in Saxonia Corbeienſis cœnobij, ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio & eloquio clarus. Scripſit vitam & geſta Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis fratris Ottonis primi Imperatoris lib.1. alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Ottonis tertij. Anno Domini M.

*Algerus monachus.*

ALGERVS ex ſcholaſtico monachus Corbeienſis cœnobij, ordinis diui patris noſtri Benedicti, vir in ſanctis Scripturis iugi ſtudio exercitatus, veterum quoque lectione diues, atque in ſecularibus literis magnifice doctus, ingenio cautus & diſertus eloquio, carmine valens & proſa. Scripſit inter alia ingenij ſui opuſcula, volumen inſigne de Sacramento altaris lib.3. de eadem re contra Berengarium lib.1. de gratia quoque Dei & libero hominis arbitrio lib.1. alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur, ſed ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt.

*Eckebertus clericus eccleſiæ Leodienſis.*

ECKEBERTVS clericus Leodienſis eccleſiæ, in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularium literarum diſciplinis egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, metro excellens non minus quam proſa. Scripſit vtroque ſtylo non ſpernenda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, e quibus extat volumen eleganti carmine compoſitum quod prænotauit: De Ænigmatibus ruſticanis lib.1. Et poſtea ſcripſit de eadem re alium maiuſculum. Cætera quæ compoſuit, ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Henrico quarto. Anno domini M. LX.

*Leo Papa Nonus.*

LEO papa nonus, Bruno antea vocatus, epiſcopus vrbis Leucorum, quæ Tullus vocatur, ſub archiepiſcopo Treuerenſi, patria Alſaticus, ex comitibus de Egesheim, ſedit in cathedra Petri poſt Damaſum annis ſeptem, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularium literarum diſciplinis egregie doctus, nec minus conuerſatione quam ſcientia venerabilis. Scripſit ad Conſtantinum ex monacho Imperatorem Græcorum de hæreſibus extirpandis lib.1. ad patriarcham quoque Conſtantinopolitanum de eadem re lib.1. Contra errores Græcorum lib.1. ad epiſcopos Africæ & Ægypti lib.1. epiſtolarum quoque ad diuerſos lib.1. & quædam alia nobis incognita Moritur ſub Henrico tertio. Anno Domini M.LIV. indictione VII. Multiſque fertur claruiſſe miraculis.

HVM-

*Humbertus monachus Tullenſis.*

Hvmbertvs monachus Tullenſis, ordinis ſancti Benedicti, Leonis papæ noni compatriota, vir vndecunque doctiſſimus, quem Leo præfatus pontifex de Lotharingia, Tullenſi videlicet monaſterio, Romam traduxit, & ad prædicandum Siculis verbum Dei epiſcopum ordinauit. Poſtea vero ſancta Romana Eccleſia præſulem ſibi Cardinalem conſtituit, homo religioſis & ſanctiſſimus. Scripſit inter cætera ingenij ſui monumenta, contra errores Berengarij multa Syntagmata. Miſſus per Leonem papam ad Conſtantinopolim pro hæreſibus extirpandis, ſua mirabili ſcientia & facundia vſque adeo Nicetam Pectoratum monachum, Hereſiarcham in præſentia Conſtantini monachi Imperatoris & Michaelis patriarchæ diſputando confutauit & deuicit, vt librum ſuum quem aduerſus Romanam Eccleſiam ediderat, mox anathematizaret, cumque propria manu exurendum flammis inijceret. Scripſit ergo eandem diſputationem ſuam per modum dialogi ſub nomine Romani & Conſtantinopolitani interloquentium lib. 1. & varias ad diuerſos epiſtolas, & quædam alia quæ ad notitiam noſtram non venerunt. Huius Humberti, viri doctiſſimi meminit Lanfrancus in libro ſuo aduerſus Berengarium multa cum extollens laude. Claruit tempore Leonis papæ noni, Anno Domini Milleſimo L.

*Bernoldus presbyter Conſtantienſis.*

Bernoldvs presbyter Eccleſiæ Conſtantienſis in Sueuia, vir deuotus, ſtudioſus & eruditus, ingenio promptus & clarus eloquio, fertur quædam non ſpernendæ lectionis cudiſſe opuſcula, quibus nomen & memoriam ſui poſteris commendauit: ſed nihil eorum ad manus noſtras memini perueniſſe. Romanum ordinem ſcripſit & correxit ad vtilitatem eccleſiæ. Claruit ſub Henrico quarto, Anno Domini M.LX.

*Lampertus monachus cœnobij S. Laurentij Leodienſis.*

Lampertvs monachus cœnobij ſancti Laurentij Leodienſis, ordinis diui patris Benedicti, Adelmanni Grammatici Brixinenſis epiſcopi quondam auditor atque diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus, rhetor, & poeta celeberrimus, ingenio clarus & diſertus eloquio (quem præfatus Adelmannus pontifex egregijs commendat verſibus) Scripſit tam metro quam proſa multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteris commendauit. Sed ex his pauca videre merui. Vitam ſancti Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi lib. 1. de miraculis eiuſdem lib. 1. Hymnorum quoque vario carminis genere lib. 1. Epigrammaton lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. officium quoque de ſancto Heriberto, & de multis alijs ſanctis compoſuit, & dulci modulatione regulauit. Cętera quæ ſcripſit, ad manus noſtras minime venerunt. Claruit temporibus Henrici tertij Imperatoris & Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis. Anno Domini M.LX.

*Lampertus de Legia monachus.*

Lampertvs de Legia monachus cœnobij ſanctorum Eucharij & Matthiæ Apoſtoli, extra mœnia Treuerorum, ordinis diui patris Benedicti, vir vndecunque doctiſſimus, philoſophus, Rhetor, muſicus & poeta clariſſimus, ingenio ſubtilis & comptus eloquio. Scripſit tam metro ꝙ proſa quædam præclara opuſcula: de quibus ego tantum repperi ſubiecta. De miraculis ſancti Matthiæ Apoſtoli magnum opus metrice compoſitum lib. 5. de ſancto quoque Agricio lib. 1. ad Lampertum abbatem ſuum vitam ſancti Matthiæ Apoſtoli edidit li. 1. ſermones etiam varios in honorē ſanctorū, lib. 1. epiſtolas quoq; multas ad diuerſos, carmina diuerſi generis elegātiſſima & multa & varia cōpoſuit, & alia complura nobis incognita. Claruit ſub Henrico quarto, Anno Domini M.LXXX.

*Marianus Scotus monachus Fuldenſis.*

Marianvs Scotus monachus Fuldenſis, ordinis diui patris noſtri Benedicti, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, vita quoque & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus emicuit. Hic amore cæleſtis patriæ natale ſolum deſerens peregrinus venit in Germaniam, & primum quidem in monaſterio ſancti Martini Coloniæ monachus factus eſt, & duobus annis in eodem cœnobio vitam ſolitariam incluſus voluntarie duxit: ac deinde translatus ad Fuldam ibidem ſtetit in incluſorio annis duodecim, quouſque tandem iuſſu Archiepiſcopi propter ſanctitatem & eruditionem euocatus Moguntiam, apud ſanctum Martinum incluſus, XVII. annis alijs vſque ad mortem perſeuerauit. Fuit autem Computiſta maximus, & temporis tranſacti diligentiſſimus cenſor, quod clariſſima monumenta quæ edidit probant. E quibus extant ſubiecta. Volumen inſigne Chronicorum ab exordio mundi vſque ad ſua tempora lib. 3. de concordantia Euangeliſtarum libr. 1. de computo quoque libr. 1. ſermones varij, & plures ad diuerſos epiſtolæ. Moritur ſub Henrico Imperatore tertio, rege autem quarto, Anno Domini Milleſimo LXXXVI. indictione IX. ætatis ſuæ Anno LVIII. & in eccleſia ſancti Martini Moguntiæ non ſine grandi opinione ſanctitatis ſepultus eſt.

*Theodericus monachus S. Albani apud Moguntiã.*

THEODERICVS monachus cœnobij ſancti Albani martyris apud Moguntiam, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus & poeta clariſſimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Fertur quædam præclara ſcripſiſſe opuſcula: quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extant ſubiecta. Ad Richardum abbatem Fuldenſem de vita & miraculis ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti lib. 1. de translatione quoque eius in Galliam ad eundem lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. carmina quoque multa & varia edidit. Sed & alia complura, quæ ad manus noſtras adhuc minime venerunt. Claruit ſub Henrico Imperatore ſecundo, rege autem huius nominis tertio, Anno Domini M.XL.

*Wenericus epiſcopus Vercellenſis.*

WENERICVS ex clerico Treuerenſis Eccleſiæ Epiſcopus Vercellenſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularium que literarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio. Scripſit nonnulla exercitationis opuſcula, quibus ſcientiam ſuam cõprobauit. In ea diſcordia quæ fuit inter Hildebrandum papam Gregorium ſeptimum & Henricum Imperatorẽ huius nominis quartum, ſcripſit ex perſona Theoderici Virdunẽſis epiſcopi (cũ ipſe adhuc Treueris eſſet clericus) ad eundẽ papã Gregorium diuinis Scripturis inſtructũ volumen (nõ enim increpans, ſed ſeniorẽ obſecrans vt patrẽ, & amicabili affectu quaſi dolentis ſuggerens ei omnia quæ contra ius & fas æquitatis eum feciſſe vel dixiſſe loquax fama diuulgauerat, quod de diſcordia ſacerdotij & imperij prænotatur lib. 1. alia quoque plura compoſuit, ſed ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Henrico quarto, Anno Domini M.LXXX.

*Erhardus monachus Corbeienſis monaſterij.*

ERHARDVS monachus Corbeienſis in Saxonia ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & promptus eloquio, in declamandis homelijs ad populum celeberrimæ opinionis. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula opus inſigne ſuper peutatheucum lib. 5. Homeliarum quoque lib. 1. alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, & ſacras multis voluminibus explanaſſe ſcripturas: quæ ad notitiam meam non venerunt.

*Willerãmus abbas cœnobij Mersburgenſis.*

WILLERAMMVS abbas cœnobij Mersburgenſis ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis literaturæ non ignarus, carmine doctus & proſa, nõ minus vita q̃ ſcientia clarus effulſit. Qui cũ literis & philoſophiæ in gymnaſio Pariſienſi aliquãdiu operã nauaſſet, rediit ad patriã ſuam Franciam ſcil. orientalem (quæ & Frãconia dicitur) & propter eminentiam doctrinæ Bambergenſis eccleſiæ ſcholaſticus fact⁹, dulce literarum contubernium non deſeruit. Tandem conſiderans vanam mundi gloriã tranſire cum tempore, ſpreto ſeculo contemptiſque rebus mundanis pro amore Dei monachicum Schema in monaſterio Fuldenſi induit, & creſcẽtibus meritis, poſtremo abbas apud Merſburgum electus fuit. Scripſit autem opus metro & proſa mixtum ſuper cantica canticorum, quod prænotauit de nuptijs Chriſti & Eccleſiæ lib. 3. ſermones quoque varios ad fratres. Et plures (vt ferunt) epiſtolas ad diuerſos. Alia quoque multa compoſuit, quæ ad notitiam meã non venerũt. Claruit ſub Henrico quarto, Anno Domini M.LXXX.

*Bernardus monachus cœnobij S. Viti Corbeienſis in Saxonia.*

BERNARDVS monachus cœnobij ſancti Viti Corbeienſis in Saxonia, ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus atq; in ſecularibus literis ſufficienter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, carmine peritus & proſa. Scripſit nõnulla ingenij ſui opuſcula, quibus nomẽ ſuum poſteris notũ fecit. Ad Hartuinum Magdeburgẽſem Archiepiſcopum edidit volumẽ luculento quidem ſed amaro ſermone contra Henricum quartum regẽ ſed tertiũ Imperatorem, in quo clare patet, q̃ grauis & odioſus fuerit idẽ Henricus Saxonib⁹. Scripſit præterea multas & varias epiſtolas, & alia cõplura nobis incognita. Claruit eiuſdẽ Hẽrici quarti temporib⁹, Anno Domini M.LXX. & varia cõpoſuit.

*Wilhelmus abbas monaſterij Hirſaugienſis.*

WILHELMVS abbas monaſterii Hirſaugienſis ordinis ſancti Benedicti Spirenſis diœceſis, vir vndecumq; doctiſſimus, philoſophus, muſicus, computiſta & theologus celeberrimus, vita & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus: qui multis in vita & morte miraculis claruit, & monaſticam diſciplinam apud Germanos pene collapſam verbo & exemplo magnifice inſtaurauit. Scripſit luculento ſermone non ſpernenda opuſcula, è quibus extant ſubiecta. Conſtitutiones nouæ reformationis ſuæ lib. 2. De muſica quoque lib. 1. de horologio quoq; lib. 1. correctionem fecit pſalterij lib. 1. epiſtolas ad diuerſos varias edidit, in quibus multæ feruntur ad Secundum Anshelmum archiepiſcopum Cantuarienſem cui familiariſſimus fuit. Extant etiam ipſius Anshelmi ad iſtum Wilhelmum quædam epiſtolæ. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad me non venerunt. Moritur ſub Hẽrico Imperatore tertio, rege autem quarto. Anno Domini M. XCI. indictione XIIII. quarto nonas Iulij. Sepultus in medio eccleſiæ ſuæ.

WOLFF-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Wolffhelmus abbas monaſterij Bruvvilerenſis.*

WOLFFHELMVS abbas monaſterij Bruvvilerenſis, quod duobus ferme miliarib⁹ diſtat à Colonia Agrippina, natus ex pago Ribuarienſi eiuſdem Colonienſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus, vita & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus & multorum miraculorum patratione clarus, ingenio ſubtilis & comptus eloquio, metro excellens & proſa. Scripſit nonnulla præclara volumina, ſed pauca eorum ad notitiam meam peruenerunt. Contra Berengarium Thuronenſem de Sacramento altaris, edidit paruum ſed neceſſarium opus ad Meginhardum abbatem lib. I. ſermones quoq; multos ad fratres, & varias ad diuerſos epiſtolas. Carmina etiam multa & elegantia, vario genere metri compoſuit, & epigrammata ſuper omnibus voluminibus ſuæ Bibliothecæ ordinauit. Alia quoq; nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiã noſtræ lectionis minime venerunt. Hic primum fuit monachus in cœnobio ſancti Maximini apud Treuerim, deinde apud ſanctum Panthaleonem in Colonia, poſtea factus eſt Abbas in Gladebach, & poſtremo translatus in abbatem præfati monaſterij Bruvvilerenſis, tertius in ordine præfuit. Moritur ſub Henrico quarto, Anno Domini M. XCI. indictione XIV. 10. Cal. Maij.

*Theodericus abbas monaſterij S. Trudonis.*

THEODERICVS abbas monaſterij ſancti Trudonis, ordinis diui patris Benedicti, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis ſufficienter inſtructus, ingenio ſubtilis, & eloquio compoſitus, metro quoque exercitatus & proſa. Scripſit vtroque genere multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad multorum notitiam deduxit. E quibus iſta feruntur: vita ſancti Trudonis lib. I. vita ſancti Bauonis lib. I. vita ſancti Remoldi lib. I. ſermones varij ad fratres lib. I. epiſtolæ quoque complures ad diuerſos lib. I. & alia quædam nobis adhuc incognita. Claruiſſe dicitur temporibus Henrici quarti, Anno Domini M. C.

*Conradus monachus monaſterij Bruvvilerenſis.*

CONRADVS monachus cœnobij Bruvvilerenſis, ordinis diui patris Benedicti, Colonienſis diœceſis, Wolffhelmi ſanctiſſimi abbatis quondam auditor atq; diſcipulus, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus. Scripſit ad ædificationem fidelium non ſpernenda volumina, quibus ingenium ſuum vtiliter occupauit, è quibus extant ſubiecta: Vita eiuſdem ſancti Wolffhelmi abbatis, ad Eberhardum Bruvvilerenſem, & Hermannum ſancti Panthaleonis abbates lib. I. de miraculis eiuſdem beati Wolffhelmi lib. I. ſermones in honorẽ ſanctorum, & alia complura nobis incognita. Claruit ſub Henrico quarto, Anno Domini M. C.

*Stephanus qui & Herrandus epiſcopus Halberſtatenſis.*

STEPHANVS qui & Herrandus epiſcopus Halberſtatenſis quartusdecimus, ex abbate Ylſenburgenſis cœnobij in Saxonia ordinis ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & non minus ſanctitate quam ſcientia venerabilis, ſcripſit in perſona Ludouici Comitis fidelis Eccleſiæ elegantiſſimam epiſtolam in modum libelli, pro defenſione & obedientia Romanæ Eccleſiæ, contra Henricum quartum rebellem Romanæ Eccleſiæ ad Waltramũ Nuenburgenſem epiſcopũ, qui partes Hẽrici quarti cõtra obedientiã ſummi pertinaciter defendit põtificis. Alias quoq; in eadem cauſa & diuerſis negotijs eccleſiaſticis epiſtolas cõpoſuit, & varios tractat⁹, ſed ad man⁹ noſtras minime venerũt. Moritur ſub Hẽrico quinto, Anno Domini M. CVII. indictione XV.

*Rupertus abbas Tuicienſis.*

RVPERTVS abbas Tuicienſis prope Coloniam ex monacho cœnobij ſancti Laurentij Traiectenſis, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis Scripturis (ſpiritu S. illuſtrãte) omnium doctorum ſui temporis doctiſſimus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio dulcis atque compoſitus, non minus ſanctitate quam ſcientia clarus effulſit. Hic in præfato monaſterio Traiectenſi poſitus, cum adhuc iuuenis eſſet, maximum diuinis literis ſtudium impendit, ſed cum propter tenuitatem ingenij parum proficeret, ad orationum inſtantiam cum lachrymis ſe conuertit, & beatiſſima Dei genitrice ſibi manifeſte apparente & gratiam promittente, tantam in omni ſcriptura ſcientiam conſequutus eſt, vt ſimile ſuo tempore non haberet. Et ne putares fabulã, ipſe de ſe in multis locis operum ſuorum iſta confitetur. Tantum vero deinceps ad ſacras lectiones amorem habuit, vt nec dormiens quidem à diuinis colloquijs videretur quieſcere, dum lingua eius & labia quaſi aliquid legeret mouerentur. Scripſit autem pene infinita volumina, de quibus ego repperi ſubiecta. Ad Cunonem Sigebergenſem abbatem, poſtea Ratiſponenſem epiſcopum, de victoria verbi Dei, pulcherrimum opus lib. XIII. in Geneſim libr. 9. in cantica canticorum opus omni laude proſequendum lib. 7. in librum ſancti Iob. lib. 10. in libros regum, de ſancto Dauid lib. 15. in vetus teſtamentum maximum opus in libris 42. quod prænotauit, de fide ſanctæ Trinitatis, item in Apocalypſin Iohannis lib. 12. de officijs diuinis lib. 12. in duodecim prophetas minores lib. 30. in Euange-

lium Matthæi lib.8. in Euangelium Iohannis lib.14. Meditationum libr.3. materiam loquendi ſumens de mirabili incendio Tuicienſis monaſterij. In regulam quoque ſancti Benedicti lib. 1. Apologeticum pro eodem opere libr. 1. de quatuor difficilimis quæſtionibus lib.1. ſermones quoque multos & varios lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos libr. 1. alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, ſed ad notitiam noſtræ lectionis adhuc non venerunt. Claruit multa ſanctitate & doctrina & miraculis coruſcans ſub Henrico quinto, Anno Domini M.CXX. Et ſub Lothario tertio moritur.

*Rupertus abbas Lympurgenſis.*

RVPERTVS abbas Lympurgenſis cœnobij, ordinis diui patris Benedicti, Spirenſis diœceſis, vir tam in diuinis Scripturis quam in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio clarus, eloquio ſcholaſticus, vita & conuerſatione deuotus. Hic philoſophiæ operam dedit annis non paucis in Gymnaſio Pariſienſi, cum adhuc eſſet ſecularis, & doctus in omni ſcientia ſcholaſtica euaſit.

Tandem reuerſus ad patriam ſuam Wangionum videlicet vrbem, vnde vitæ duxerat originem, philoſophiam inutilem animæ cum rebus ſeculi pro Dei amore contempſit, habitumque ſanctæ conuerſationis in præfato cœnobio induit, & demum creſcentibus meritis omnium fratrum conſenſu in abbatem electus fuit. Maximam regularis diſciplinæ obſeruantiam verbo & exemplo ibidem inſtituit, & diuinis reuelationibus crebro refocillari meruit. Scripſit iubente ſanctiſſima Dei genitrice per viſum, opus in laudem eiuſdem virginis perpulchrum, ſuper cantica canticorum lib.4. de contemptu & vanitate huius mundi lib.2. de ſancto Iohanne baptiſta lib.1. reuelationum quoque ſuarum lib.1. ſermones etiam multos in honorẽ ſanctorum, quorum vel reliquię vel patrocinia in ſuo monaſterio habentur, compoſuit: & epiſtolas ad diuerſos varioſque in ſcripturis ſanctis tractatus. Claruit ſub Henrico quinto, Anno Domini Milleſimo centeſimo vigeſimo.

*Rudolfus abbas monaſterij S. Trudonis.*

RVDOLFVS abbas monaſterij ſancti Trudonis, ordinis diui patris Benedicti Leodienſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus, & longa exercitatione peritus, atque in ſecularium literarum ſcientia ſufficienter doctus, ingenio clarus & vita, carmine quoque excellens & proſa. Scripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extat opus inſigne contra Symoniacos lib.7. Chronica quoque rerum geſtarum tranſacti temporis lib. 1. Carmina etiam plura diuerſi generis edidit. Cantus quoque in laudẽ ſanctorum varios dulci & regulari modulatione compoſuit. Claruit ſub Henrico quinto, Anno Domini M.C.XXV.

*Franco abbas monaſterij Haffligemenſis.*

FRANCO abbas monaſterij Haffligemenſis ſecundus, ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis Scripturis eruditus, & ſecularis literaturæ ſcientia probe inſtructus, ingenio valens & clarus eloquio. Scripſit tam metro quam proſa quædam commendanda opuſcula, quibus nomen ſuum cum gloria tranſmiſit ad poſteros. Cum adhuc monachus eſſet, iubente Fulgentio abbate ſuo incepit opus præclarum de gratia Dei, quod poſtea factus Abbas compleuit. Scripſit etiam metrice de ſtatu futuræ gloriæ lib.1. epiſtolas quoque ad diuerſos & varios ſermones. Et quædam alia. Claruit ſub Henrico quinto, Anno Domini M.CX.

*Eckhardus abbas primus cœnobij S. Laurentij.*

ECKHARDVS abbas primus cœnobij ſancti Laurentij martyris quod Vraugia dicitur, iuxta ſyluam Hyrciniam in diœceſi Herbipolenſi, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & valde eruditus, atque in ſecularibus literis non mediocriter doctus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit non contemnendæ lectionis opuſcula, quibus ingenium ſuum magnifice exercitauit, è quibus feruntur ſubiecta: Ad imitationem Boetij ſcripſit vtroque genere, id eſt, alterno ſtylo volumen inſigne, quod prænotauit, Laternam monachorum lib.5. ſermones quoque varios & multos ad fratres. Carmina etiam & Epigrammata diuerſi generis plura. Et quædam alia. Claruit ſub Lothario Imperatore, Anno Domini M.CXXX.

*Engelbertus abbas monaſterij Admontenſis.*

ENGELBERTVS abbas monaſterij Admontenſis, ordinis ſancti Benedicti, vir eruditione ſcripturarum inſignis, & non minus morum integritate, quam ſcientia venerabilis, nomen ſuum varia ſcribendo & exponendo notificauit, & tam verbo quam exemplo ad ædificationem fratrum ſuorum non infima geſſit. Scripſit inter cætera ingenij ſui opera. De vitijs & virtutibus lib.1. ſermones etiam multos & vtiles ad fratres libr. 1. epiſtolas quoque plures. Sed & alia plura edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt.

*Conradus qui & Peregrinus mon.*

CONRADVS qui & peregrinus, monachus Hirſaugienſis cœnobij, ordinis diui patris Benedicti, Spirenſis diœceſis, Wilhelmi abbatis quondã auditor atq; diſcipulus, vir in

diuinis

diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis valde peritus: philoſophus, Rhetor, muſicus & poeta celeberrimus, ſub nomine Peregrini multa præclara volumina edidit, in quibus ornata ſententiarum diſpoſitio, & venuſti ſermonis elegantia, nulli veterũ inferiorem ſuum demonſtrant fuiſſe auctorem. De his ſubiecta feruntur: Opus dialogorum inſigne ſub nominibus Peregrini presbyteri, & Theodoræ Deo ſacratæ virginis quod prænotauit, ſpeculum virginum lib. 8. in Euangelia per circulum anni magnum volumen lib. 1. de vita ſpiritus, & fructu mortis lib. 1. Et alius qui prænotatur Matricularius lib. 1. Didaſcalon alius lib. 1. de Muſica & differentia tonorum lib. 1. de laudibus ſancti Benedicti metrice lib. 1. ſermones varij & Homiliæ lib. 1. alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, ſed in manus noſtras non venerunt. Quicquid autem proſaice ſcripſit (præter ſermones & epiſtolas) vt plurimum in morem dialogi ordinauit. Fuit alius quidam prædicator qui ſecundum Modernorum conſuetudinem ſub nomine Peregrini, ſermones ad populum non ſpernendos compoſuit, ſed noſtro Peregrino eruditione & eloquentia multum inferior. Ille enim more declamatorum huius temporis ſimplici ſermone contentus quotationes crebras introducit ſcripturarum) noſter autem Tullianam reſonans eloquentiam more antiquorum, orationem cicatricoſam reddere ſuperuacuis allegationibus non conſueuit. Claruit autem ſub Conrado Imperatore huius nominis tertio. Anno Domini M. CXL.

*Dudechinus presbyter eccleſia in Logenſtein.*

DVDECHINVS presbyter Eccleſiæ in Logẽstein, vir ſtudioſus & eruditus, ob ſpem æternæ vitæ cum alijs multis ſub Conrado Imperatore tertio Hieroſolymam profectus, cum Saracenis nauali prælio ſæpe dimicans, magna deuotione & conſtantia pro fide Chriſti clarus effulſit. Reuerſus in patriam Cunone abbate montis ſancti Diſibodi (tunc adhuc ordinis noſtri) petente, peregrinationis ſuæ hiſtoriam quantaque cum infidelibus geſſerint prælia, vrbano ſermone deſcripſit lib. 1. epiſtolas inſuper varias ad diuerſos edidit. Et quædam alia nobis incognita. Claruit ſub Conrado Imperatore, Anno Domini Milleſimo CXL.

*Chriſtianus Mogũtinus triceſimus archiepiſcopus.*

CHRISTIANVS Frederici Imperatoris primi archicancellarius, & poſtea Moguntinus XXX. archiepiſcopus ab eo conſtitutus, ſedit annis decem & octo: vir in ſeculari literatura doctiſſimus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio clarus, ſermone diſertus, quem etiam Italia perorantem obſtupuit. Scripſit inter alia ingenij ſui monumenta: Geſta Frederici Imperatoris primi, lib. 1. epiſtolas inſuper elegantiſſimas ad diuerſos. Et quædam alia nobis adhuc incognita. Huius Chriſtiani Leo Tuſcus notarius Emanuelis Imperatoris Græcorum contemporaneus, in libro de præuaricationibus & erroribus Græcorum cum laude facit mentionem. Claruit eiuſdem Frederici primi temporibus. Anno Domini M. CLXXX.

*Eckebertus abbas monaſterij Schonaugienſis.*

ECKEBERTVS ſecundus abbas monaſterij ſancti Florini Schonaugienſis ordinis diui patris Benedicti Treuerenſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, frater beatæ Eliſabeth abbatiſſæ virginis Chriſti fuit. Qui cum adhuc Bunnenſis Eccleſiæ canonicus eſſet, crebris epiſtolis & admonitionibus ſanctæ ſororis ſuæ prouocatus mundum cum vanis honoribus deſeruit, & monachorum collegio in prædicto loco ſe coniunxit, vbi primum monachus & demum abbas conſtitutus, non minus deuotione & religione quam ſcientia clarus effulſit. Scripſit autem aduerſum hæreſes lib. 1. in principium Euangelij Iohannis lib. 1. ſuper: miſſus eſt angelus lib. 1. ſuper Magnificat lib. 1. de vita & morte ſanctæ ſororis ſuæ lib. 1. Meditationes de Ieſu & Maria lib. 1. de laude noſtri Saluatoris lib. 1. ſermones quoque more antiquorum incorruptos allegationibus capitulorum libr. 2. Epiſtolarum ad diuerſos libr. 1. alia quoque nonnulla edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit Anno Domini Milleſimo CLX.

*Eliſabeth abbatiſſa.*

ELTSABETH ſanctimonialis fœmina, ſoror præfati abbatis Eckeberti, & abbatiſſa cœnobij virginum Chriſti quod æque Schonaugia dicitur, & monaſterio prædicto virorum quaſi contiguum eſſe cernitur, virgo ſanctiſſimæ conuerſationis & ab infantia ſua domino conſecrata, multis & probatis reuelationibus illuſtrari diuinitus meruit, quas ad ædificationem fidelium iuſſa literis commendauit, è quibus legi ſubiecta: Opus pulcherrimum & non inutile, quod viarum Dei prænotauit, in quo triplicem viam ſanctorum deſcripſit, videlicet, martyrum, confeſſorum & virginum lib. 1. de vndecim mille virginibus apud Coloniam Agrippinam ſancto martyrio coronatis lib. 1. Reuelationum ſuarum lib. 2. ad fratrem ſuum Eckebertum adhuc Bunnæ canonicum lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. ad ſanctam Hildegardem virginem Chriſti, epiſtolam vnam. Moritur ſub



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Frederico Imperatore primo, Anno Domini Milleſimo CLXV. indictione XIII. ætatis ſuæ, Anno XXXVI. conuerſionis XXIIII. viſitationis autem ſuperni luminis XIII. Quartodecimo Calend. Iulij, Sepulta in Eccleſia monachorum ſancti Florini martyris, in medio chori, non ſine maxima opinione ſanctitatis.

*Hildegardis abbatiſſa monaſterij S. Ruperti.*

HILDEGARDIS ſanctimonialis, abbatiſſa monaſterij ſancti Ruperti cõfeſſoris, in oppoſito Bingenſis oppidi ex altera parte Naij fluminis, Moguntinæ diœceſis, ordinis diui patris Benedicti, oriunda ex comitatu Spanhemenſi, diſcipula quondam beatæ virginis Guttæ, ſororis Megenhardi comitis de Spanhem, fundatoris noſtri, virgo ſanctiſſimæ conuerſationis, & à pueritia ſua diuinis reuelationibus illuſtrata, multis in vita ſua miraculis claruit, & odorem ſanctitatis in longinquas regiones diffudit, adeo vt Eugenius tertius, Anaſtaſius quartus, Adrianus quartus, & Alexander tertius Romani pontifices, eam ſcriptis ſuis crebro viſitantes, & ſe & Romanam Eccleſiam orationibus eius commendarent. Eugenius quoque tertius in concilio apud Treuerim habito ſancto Bernardo & multis Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, & clericis præſentibus, libros huius virginis publice coram omnibus lectos approbauit, tanquam diuinitus inſpiratos & Catholicæ fidei conſentaneos, & vt cœpto perſeueraret in propoſito epiſtolis apoſtolicis admonuit. Scripſit autem multa opuſcula ex reuelatione angelica, de quibus extant ſubiecta: In regulam ſancti Benedicti breuis explanatio lib. I. ad Wibertum monachum de triginta quæſtionibus ſibi ab eo propoſitis libr. I. vita ſancti Ruperti Ducis & confeſſoris lib. I. vita quoque ſancti Diſibodi epiſcopi Hybernienſis, qui pro Chriſto peregrinus in Alemaniam veniens, in comitatu Spanhemenſi multis miraculis clarus requieſcit libr. I. ſuper Euangelijs Dominicalibus homelias LVIII. compoſuit valde obſcuras & niſi deuotis & eruditis intelligibiles. Item de Sacramento altaris contra quoſdam huius temporis hæreticos lib. I. volumen quoque magnum quod prænotauit Sciuias, id eſt, ſcito vias, ſcilicet Dei & ſanctorum, de quibus valde ſubtiliter & religioſe diſputat. Aliud quod inſcripſit vitæ meritorum, opus non ſpernendum lib. 3. item aliud ſimplicis medicinæ prænotatum lib. I. & aliud compoſitæ medicinæ prætitulatum lib. I. in his duobus mirabilia & ſecreta naturæ ſubtili expoſitione ad myſticum ſenſum refert, vt niſi à ſpiritu ſancto talia, fœmina ſcire minime poſſet. Scripſit aliud volumen grande cuius titulus eſt, diuinorum operum lib. I. ad clerum Treuerenſis vrbis, de futuris Eccleſiæ calamitatibus lib. I. ad Colonienſes quoque de eadem materia lib. I. Miranda in his prædicit, tamen ſine determinatione temporis. Scripſit etiam ad petitionem quorundam ſacerdotum exhortatorium ſecularium lib. I. ad ſorores ſuas exhortationis lib. I. ad monachos griſeos lib. I. Carmina diuerſa dulci melodia compoſita. Ad ſanctum Bernardum Clareuallenſem epiſtolam vnam. Epiſtolarum quoque ad diuerſos lib. I. è quibus legi centum, trigintaquinque, in quibus omnibus doctrina Catholica relucet, quæ vel fidem confirmet, vel inſtruat diſciplinam. Vndecimus in eodem volumine epiſtolarum multas literas Cõradi tertij, & Frederici primi Imperatorum, multorumque Epiſcoporum Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis, Bremenſis, Hieroſolymitani, Bambergenſis, Wormacienſis, Spirenſis & aliorum pene innumerabilium, qui ex diuerſis mundi regionibus fama ſanctitatis eius & diuinarum reuelationum prouocati, per nuncios & epiſtolas orationibus eius ſe commendabant, & diuerſarum quæſtionum ſolutionem ab ea quærebant. Moritur autem ſub Frederico Imperatore primo, Anno Domini M.CLXXX. indictione XIII. 15. Cal. octobris. Ætatis ſuæ anno LXXXII. ſepulta in medio chori iam dicti monaſterij ſancti Ruperti, ante maius altare.

*Wernerus abbas monaſterij S. Blaſii.*

WERNERVS abbas monaſterij ſancti Blaſij epiſcopi & martyris in nigra ſylua, ordinis diui patris Benedicti, Conſtantienſis diœceſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, nec minus honeſtate morum quam ſcientia venerabilis. Scripſit ad ædificationem poſteritatis opus celeberrimum ex dictis ſanctorum patrum, ſuper euangelijs de tempore, per anni circulum, quod prænotauit: deflorationem vel excerptionem ſanctorum patrum lib. I. ſermones etiam & plures & elegantes compoſuit, in quibus ſe nobiliter exercitauit. Alia quoque nonnulla edidit: quæ ad notitiam meam non venerunt.

*Theodericus abbas.*

THEODERICVS abbas ordinis ſancti Benedicti beatæ Hildegardis quondam amator caſtiſſimus, vir tam in ſcripturis ſanctis quam in literis ſecularibus exercitatus & doctus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus, ſcripſit ad multorum ædificationem, vitam eiuſdem Hildegardis ſponſæ Chriſti lib. 4. epiſtolas quoque varias ad diuerſos. Et quædam alia nobis incognita. Claruit temporibus Henrici VI. Anno Domini M.CC.

*Caſarius monachus in Heiſterbach.*

CÆSARIVS monachus in Heiſterbach, ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Colonienſi, vir deuotus & regularis diſciplinę amator præcipuus, atque in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus. Scripſit pro ædificatione nouitiorum (quorum ex officio erat inſtitutor) ſimplici & aperto ſermone nonnulla opuſcula, quorum lectio deuotis hominibus non eſt ſpernenda. E quibus repperi ſubiecta: Volumen grande dialogorum de miraculis & diuerſis viſionibus ſuo tempore in Germania factis lib. XII. Item homelias ſuper Euangelijs Dominicalibus lib. II. in Euangelijs quoque de ſanctis lib. I. ſermones & multos & varios ad inſtitutionem nouitiorum pertinentes lib. I. Cętera quæ compoſuiſſe dicitur, ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit ſub Frederico ſecundo, Anno Domini milleſimo CC.XX.

*Petrus de Vineis Frederici II. Imperatoris archicancellarius.*

PETRVS de vineis, Frederici Imperatoris ſecundi Archicancellarius, vir in ſecularibus literis admodum doctus & eloquens. Scripſit tam ex perſona ſui quam Imperatoris Epiſtolarum ad diuerſos lib. VI. de poteſtate quoque imperiali li. I & quędam alia. Hic Frederici partes ſemper defenſauit contra Romanam Eccleſiam & ſummũ Pontificem vicarium Chriſti, & ſæpe in publico concilio corā Papa & præſulibus rebellionē ſui Imperatoris tanta eloquentia perorādo excuſare conatus eſt, vt omnes verteret in admirationē. Sed tandē condigna mercede à Frederico remuneratus eſt, cum eum de ſua curia expulit, & lumen illi & oculos eruit. Hoc præmium eorũ qui principibus contra obedientiā Romanæ ſedis & vicarij Chriſti deſeruiunt, & poſthæc niſi pœniteat ad inferos miſeri deſcendunt. Claruit ſub eodem Frederico II. anno Domini milleſimo CC.XXX.

*Iordanus ordinis prædicatorum.*

IORDANVS ordinis fratrum prædicatorum, poſt ſanctũ Dominicum magiſter generalis, vir in diuinis ſcripturis exercitatus & ſufficienter eruditus, verbi Dei prædicator egregius, & non minus ſanctitate quā ſcientia venerabilis, qui verbo & exemplo multos ad viā æquitatis conuertit. Scripſit inter cętera ingenij ſui monumenta, multas & vtiles epiſtolas exhortatorias ad fratres, in quibus omnis ſpiritualis vitæ integritas conſpicitur. Sermones quoque valde vtiles compoſuiſſe dicitur, de inſtitutione quoque ſui ordinis librũ ſcripſiſſe fertur. Et quædā alia nobis incognita. Claruit eodē tempore quo & ſanctus Dominicus ſub Frederico Imperatore II. anno Domini M.CC.XX.

*Simon monachus cœnobij Haffligemenſis.*

SIMON monachus cœnobij Haffligemenſis ordinis diui patris noſtri Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio præſtans, & clarus eloquio, conſilium ſancti legiſlatoris noſtri Benedicti (quo maxime amare diuinas ſcripturas in monaſterio præcipimur) ita conuertit in practicam, vt ei in hac vita dulcius nihil fuerit quam ſtudio ſancto inſiſtere, & diuorum patrum opuſcula ſemper reuoluere. Scripſit autem inter cætera: Sermones ſuper canticis canticorum lib. I. Viſionem quoque admirabilem cuiuſdam conuerſi, lib. I. ſermones etiam & epiſtolas complures. Moralia quoque beati Gregorij Papæ in decem libris abbreuiauit, meliora quæque & ſuo propoſito conuenientia excerpens. Cætera quæ ſcripſit, ad noticiam meam non venerunt. Ex eo tempore quo fratrum mendicantium ordines inceperunt, ſtudium literarum in ordine noſtro perijt, quod vſque in hodiernum diem vix reſurgit. A temporibus enim Frederici Imperatoris primi & ſecundi vſque ad annum Frederici tertij vltimũ, quo iſta ſcripſimus per annos ferme ducentos ſeptuaginta, rarus in ordine noſtro apparuit, qui veterum exemplo ſacris ſe literis mancipans, notabile aliquid eruditione ſimul & vtilitate dignum ad poſteritatis ędificationem compoſuerit, ſicut in ſequentibus patet. Sed iſta nihil ad rem pertinent.

*Iohannes Argentinenſis ac Boſſinenſis epiſcopus.*

IOHANNES cognomento & patria Theutonicus, ex oppido Frigburgenſi oriundus ordinis fratrum prædicatorum conuentus Argentinenſis ac deinde Boſſinenſis epiſcopus in Hungaria, vir in diuinis ſcripturis multũ exercitatus & doctus, atq; in ſeculari philoſophia & in iure canonico ſingulariter eruditus, qui propter ſcientiā & vitæ ſanctitatem ad prædictum epiſcopatum aſſumptus fuerat, quem poſtea deſerens, ad ordinem ſuum eſt reuerſus, & poſt Raymundum generalis magiſter totius ordinis conſtitutus eſt. Scripſit quædam præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extat ſumma notabilis, de caſibus quam ſummam confeſſorum appellant lib. V. ſuper decretis quoque Gratiani primus inter nominatos doctores edidit apparatum. Cætera quæ compoſuit ad noticiam meam non venerunt. Claruit temporibus Frederici Imperatoris ſecũdi anno Domini milleſimo CC.L. ſepultus vero eſt in conuentu ſuo Argentinenſis multis olim clarus miraculis.

*Otto Epiſc. Friſingēſis.*

OTTHO epiſcopus Friſingenſis eccleſiæ in Norica prouincia quæ nunc Bauaria dicitur, & vt quidam ſcribunt, nepos Frederici Imperatoris primi, vir in diuinis ſcripturis



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eruditus, & in ſecularibus literis non infime doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit quandam de geſtis tranſacti temporis hiſtoriam, quæ à viris doctis & eruditis plurimum commendatur. Cætera ſi quę ſcripſit, ad noticiam meam nondum venerunt. Huius Otthonis epiſcopi Æneas Syluius qui & Pius papa ſecundus, in quadam oratione Franckfordiæ habita non ſine laude meminit. Sed in deſcriptione Europæ Phriſiæ ſitum declarans vocabulorum ſimilitudine abductus, Friſienſem pro Friſingenſi arbitratus eſt. Claruit ſub Frederico ſecundo anno Domini M.CC.LX.

*David ordinis fratrum minorum.*

DAVID ordinis fratrum minorum, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & non minus vita & conuerſatione quam ſcientia venerandus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripſit ad ędificationem ſimplicium fratrum non ſpernenda opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta. Ad institutionē nouitiorum lib. 2. Sermones quoque varij ad populum, & quædam his ſimilia, quorum lectio deuotis fratribus admodum vtilis iudicatur. Sepultus eſt in conuentu Auguſtenſi.

*Galterus episcopus Magolenſis.*

GALTERVS epiſcopus Magolenſis ex inſulis oppido Flandriæ oriundus, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio præſtās & clarus eloquio, qui ſuo tēpore propter doctrinā & eruditionē magno fuit in precio. Scripſit ad petitionem præpoſiti & clericorū Inſulenſis eccleſiæ, opus limato ſermone decorum, ſuper pſalterio lib. 1. Et quaſdam ad diuerſos (vt ferunt) non inelegantes epiſtolas. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt.

*Albertus cognomento Magnus, epiſcopus eccleſiæ Ratiſponenſis.*

ALBERTVS cognomento Magnus ordinis fratrum prædicatorum, epiſcopus eccleſiæ Ratiſponenſis in Bauaria, oriundus ex Laugingen vico Sueuiæ, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus, qui diuinas literas & philoſophiam Ariſtotelicam publice multis annis docuit, primo Pariſijs, deinde apud Coloniam Agrippinam, vbi inter alios ſanctum Thomam Aquinatem habuit diſcipulum. Ad epiſcopatum Ratiſponenſis eccleſiæ deinde aſſumptus, poſteaquam illum aliquamdiu rexiſſet, deſeruit, & amore ſtudij ſalutaris ad cōuentum ſuum Coloniam reuerſus eſt, vbi vſque ad finem vitæ ſuæ docendo & ſcribendo permanſit. Scripſit autem pene infinita opuſcula, de quib⁹ ferūtur ſubiecta. Summa Theologię notabilis lib. 4. Super ſententias quoque magiſtri Lumbardi lib. 4. De quatuor Coæuis lib. 1. De homine lib. 1. De bono lib. 1. De vita ſpiritali lib. 1. Super officio Miſſæ lib. 1. De corpore Chriſti lib. 1. De eodem ſermones 32. De muliere forti lib. 1. Super libris beati Dionyſij Areopagitæ lib. 5. De multiplici timore lib. 1. De laudibus ſanctæ Mariæ lib. 1. Defenſorium pro ordinibus fratrum mendicantium lib. 1. De formatione hominis lib. 1. de partu hominis lib. 1. de origine animæ lib. 1. Super oratione Dominica lib. 1. de modo prædicandi lib. 1. de reparatione lapſi lib. 1. de adhærendo Deo lib. 1. in Penthateucum lib. 5. in Ioſuæ lib. 1. in iudicum lib. 1. in Ruth lib. 1. in regum lib. 4. in paralipomenō lib. 2. in Eſdram & Neemiam lib. 3. in Thobiam lib. 1. in Iudith lib. 1. in Heſter quoque lib. 1. in prouerbia Salomonis lib. 1. in Eccleſiaſten lib. 1. in Cantica Canticorum lib. 1. in librum Sapientiæ lib. 1. in Eccleſiaſticum lib. 1. in libris Machabeorum lib. 2. in Iob. lib. 1. in Eſaiam prophetam lib. 1. in Hieremiam prophetam lib. 1. in Ezechielem prophetam lib. 1. in Danielem lib. 1. in duodecim prophetas minores lib. 12. in Euangelium Matthęi lib. 1. in Euangelium Marci lib. 1. in Euangeliū Lucæ lib. 1. in Euangelium Iohannis lib. 1. in omnes epiſtolas Pauli lib. 14. in Apocalypſin Iohannis lib. 1. Sermones de tempore & de ſanctis per anni circulum lib. 2. de animalibus lib. 20. Paradyſus animæ prænotatus lib. 1. Orationes ſuper ſententias. Orationes quoque ſuper Euangelia. de differentia Spiritus & animæ lib. 1. de diuinatione & prophetia lib. 1. Diuerſarum quæſtionum lib. 1. de natura locorum lib. 1. de cauſis elementorum lib. 1. de motibus animaliū lib. 1. de intellectu & intelligibili lib. 1. de iuuentute & ſenectute lib. 1. de morte & vita lib. 1. de plantis & vegetabilibus librum vnum. Summa quædā philoſophiæ lib. 1. de vnitate intellectus lib. 3. Quæſtiones contra Auerroiſtas lib. 1. de vnitate formæ li. 1. de philoſophia morali lib. 16. de philoſophia monaſtica lib. 5. de Oeconomica lib. 4. de politica lib. 8. de Arithmetica lib. 1. de Geometria lib. 1. de muſica lib. 1. de aſtronomia lib. vnum. de aſtris lib. 1. de Sphæra lib. 1. Speculum aſtronomiæ lib. 1. de antiquis auctoribus ſcientiæ aſtronomicæ lib. 1. de mineralibus lib. 1. de natura Deorum li. 1. de ſecretis naturæ li. 1. de duodecim alphabetis lib. 1. de magiſtris eligendis lib. 1. de vniuerſalibus lib. 1. de ſomnijs lib. 1. de prædicamentis lib. 1. de ſex principijs lib. 1. de diffinitionibus li. 1. de cauſis li. 1. de Grammatica lib. 1. de Rhetorica lib. 1. de medicina quoque lib. 1. de lanificio lib. 1. de agricultura lib. 1. de aratura lib. 1. de nauigatione lib. 1. de metaphyſica lib. 13. de perſpectiua lib.

ua lib. I. de aſtrolabio lib. I. in omnes etiam libros Ariſtotelis commentatus eſt. Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, ſed in noticiam meam non venerunt. Quod vero de Necromantia accuſatur in vulgo, friuolum & fictitium eſt, quippe quem vſque in finem vitæ religioſiſſime vixiſſe conſtat, nec malis artibus ſtudium impendiſſe virum tam bonum & ſanctum credibile videtur. Si qua miranda feciſſe dicitur non maleficio ſed occultis naturæ ſibi tamen patentibus rebus id factum non dubito. Multa enim ſtupenda fieri naturaliter poſſunt, occultaque hominum coniecturis quibuſdam ſubtiliter denudari, futura quoque nonnulla prædici, quæ omnia ab inexpertis ſupra naturam iudicantur. Moritur autẽ Albertus iſte Magnus ſub Rodulpho Imperatore anno Domini milleſimo CC. LXXX. indictione octaua. Ætatis ſuæ anno LXXX. Sepultus in conuentu ſuo Colonienſi, in medio chori non ſine opinione ſanctitatis. Et non ſurrexit poſt eum in omnibus literis, ſcientijs & rebus, vir tam doctus, eruditus & expertus in ordine illo.

*Philippus abbas monaſterij Otterburgenſis.*

PHILIPPVS abbas monaſterij Otterburgenſis ordinis Ciſtercienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & longa exercitatione peritus, ingenio promptus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit ad ædificationem legentium non ſpernenda opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta. Super cantica can icorum Salomonis lib. I. Sermones quoque varij per circulum anni & de feſtis ad fratres lib. II. Epiſtolas etiam complures ad diuerſos ſcripſiſſe perhibetur. Alia quoque nonnulla compoſuit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit temporibus Frederici Imperatoris ſecundi. Anno Domini M. CC. XX.

*Galtherus de Caſtellione.*

GALTERVS dictus de Caſtellione, oriundus autem ex inſulis oppido Flandriæ, vir in diuinus ſcripturis ſtudioſus & eruditus atque in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus, poeta & Theologus clariſſimus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, metro valde promptus & peritus. Scripſit eleganti carmine geſta Alexandri Magni opus profecto non abijciendum, quod tantæ auctoritatis in ſcholis Grammaticorum antiquitus fuit, vt pro ipſo veterum poetarũ lectio neglecta videretur. Sed & alia multa compoſuit, quæ ad me non venerunt.

*Thomas de Cantiprato.*

THOMAS de Cantiprato ordinis fratrum prædicatorum, patria Brabantinus, Alberti Magni (vt ferunt) quondam diſcipulus, vir certe doctiſſimus & tam in ſeculari philoſophia quam in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, ingenio præſtans & clarus eloquio, non minus honeſtate morum quam ſcientia venerabilis. Scripſit non ſpernenda opuſcula, quibus nomen ſuum poſteritati commendauit. E quibus extat volumen omnibus Chriſtianis non minus vtile quam iucundum de myſticis apibus, quod prænotauit, bonum vniuerſale lib. I. Aliud quoque de natura rerum volumen compoſuit lib. I. Vitam cuiuſdam ſanctæ mulieris in Hiſpania, quæ vocabatur Chriſtiana lib. I. Scripſit etiam vitam ſanctæ Lutgardis monialis lib. I. Alia quoque multa edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Sunt autem qui ſcribant eum Græci ſermonis habuiſſe peritiam, & libros Ariſtotelis, quorum nunc vſus in ſcholis eſt, trãſtuliſſe. Claruit Louanij habitans, temporibus Rodulphi Imperatoris Anno Domini mill. CC. LXXX.

*Geradus monachus S. Quintini.*

GERADVS monachus ſancti Quintini in inſulis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & iugi exercitatione peritus, ſecularium quoque literarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio. Scripſit quædam non ſpeɪnenda opuſcula, quibus nomen ſuum præſentibus notificauit & poſteris. E quibus in primis feruntur ſubiecta, Hiſtoria translationis coronæ ſpineæ & partis de cruce Domini à Conſtantinopoli in Franciam lib. I. de miraculis quoque beatæ Heliſabeth gratia diuina factis poſt eius mortem in Thoringia lib. I. Officium & cantus de ipſius feſtiuitate compoſuit. Sermones quoque & multos & varios edidit. Sed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit temporibus Rodulphi Imperatoris. Anno Domini milleſimo CC. LXX.

*Vdalricus de Argentina.*

VDALRICVS de Argentina ordinis fratrum prædicatorum, Alberti Magni quondam auditor atque diſcipulus, vir tam in iure canonico quam in diuinis ſcripturis egregie doctus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus. Scripſit multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum cum laude transmiſit ad poſteros. E quibus feruntur ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. Summa valde notabilis lib. VI. de anima quoque lib. I. Sermones etiam varij. Alia quoque multa compoſuit, quæ ad me non venerunt. Claruit ſub Rodulpho Imperatore, Anno Domini milleſimo CC. LXXX.

HEIN-

*Heinricus de Gandauo archidiaconus Tornacenſis.*

HEINRICVS de Gandauo Archidiaconus Tornacenſis, doctor Pariſienſis omnium ſui temporis facile doctiſſimus,& tam in philoſophia ſeculari quã in diuinis ſcripturis valde eruditus, ingenio ſubtilis,& clarus eloquio, diſputator quæſtionum ſcripturarum acutiſſimus, qui ob ingentem eruditionis ſuæ gloriam doctor ſolennis appellari meruit. Scripſit inter multa ingenij ſui opuſcula, Summam inſignem Theologiæ. lib. I. Super ſententias lib. 4. Quodlibetorum lib. 2. de ſancta virginitate lib. I. de pœnitentia lib. I. Sermones quoque varios,& diuerſas in ſacra pagina lecturas. In Metaphyſicam Ariſtotelis lib. 14. in libros quoque phyſicorum lib. 8.& in alios libros Ariſtotelis multos. Alia præterea multa ſcripſit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Moritur ſub Adolpho Imperatore. Anno Domini mill. CC. XCIII. indictione III. in die apoſtolorum Petri & Pauli. Sepultus Tornaci in eccleſia Dei genitricis.

*Emicho abbas Schonaugienſis cœnobij.*

EMICHO abbas Schonaugienſis cœnobij ordinis diui patris Benedicti Treuerenſis diœceſis Eckeberti ſupradicti abbatis quondam auditor atque diſcipulus , vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularis quoq; literaturæ non ignarus, ingenio promptus,& clarus eloquio, non minus vita quam ſcientia inſignis. Scripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, de quibus tamen pauca in noticiam meam peruenerunt. Legi opuſculum eius de laudibus diuæ virginis Heliſabeth Schonaugienſis. Item ſermones multos & varios,& quędã alia minora non inutilia. Cætera quæ compoſuit in manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Eckeberto abbate. Anno Domini milleſimo ducenteſimo vel circa.

*Conradus de Media Ciuitate.*

CONRADVS de Media Ciuitate vulgariter Halberſtat, ordinis fratrum prædicatorum, vir tam in diuinis ſcripturis quam in ſeculari philoſophia nõ infime doctus, ingenio præſtans & diſputator egregius. Scripſit ſuper ſententias lib. 4. Summam quoq; ſtudentiũ lib. 3. de triuio lib. I. Lecturam notabilem in librum ſancti abb. lib. I. Sermones etiam multos & varios lib. I. Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad me non venerunt. In multos namque Bibliorum libros lecturas & explicationes feciſſe dicitur. Denique ipſe concordantias noui & veteris teſtamenti per ordinem alphabeti primus ordinaſſe fertur.

*Nicolaus de Byberа.*

NICOLAVS de Bybera gymnaſij Erffordenſis magiſter in ſcripturis ſecularibus nobiliter doctus & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit gemino ſtylo non ſpernenda volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus ego tantum repperi: opus carmine & proſa mixtũ, de cauendo malo, quod prænotauit occultum lib. I. Epiſtolarum quoque ad diuerſos lib. I. & diuerſa carmina. Cætera quæ compoſuit, ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Rodulpho Imperatore. Anno Domini milleſimo CC. nonageſimoque.

*Hugo de Argentina Doctor Pariſienſis.*

HVGO de Argentina ordinis fratrum prædicatorum doctor Pariſienſis, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit inter alia ingenij ſui exercitia, Super ſententias lib. 4. Compendium quoque Theologicæ veritatis, opus non abijciendum lib. 6. Sermones etiam multos. Quodlibeta, quæſtiones, diſputationes,& varias in diuinis libris explanationes, atq; alia non pauca ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam noſtram minime venerunt.

*Gerardus lector conuentus Leodienſis.*

GERARDVS eiuſdem ordinis fratrum prædicatorum lector conuentus Leodienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus , & in ſermonibus faciendis ad populum declamator egregius, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus. Scripſit inter cætera valde vtilẽ tractatum de deuotis perſonis, quem prænotauit de doctrina cordis , docens ſeptem diſpoſitiones circa cor faciendas, multaq; ad ædificationem pertinentia hinc inde de ſcripturis diuinis ſagaciter colligens. Item ſermones (vt ferunt) de tempore & de ſanctis valde notabiles lib. 2. Sed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quę ad noticiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt.

*Alanus de Inſulis Magiſter Pariſienſis.*

ALANVS de Inſulis magiſter Pariſienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus , & in ſecularibus literis nulli ſuo tempore ſecundus, Theologus inſignis, philoſophus clarus,& poeta celeberrimus, qui Eccleſiaſticæ ſcholæ Pariſijs multo tempore præfuit, vbi in omni ſcientia diuina pariter & humana, clarus effulſit, adeo vt nomen doctoris vniuerſalis nanciſci meruerit. Scripſit metro & proſa pene infinita opuſcula , de quibus ad meã noticiam non omnia ſed pauca peruenerunt: ſuper ſententias lib. 4. Quodlibet lib. I. Ad abbatem ſancti Ægidij, de vocabulis ſacræ ſcripturæ opus non paruum, quod prænotauit, Oculum ſacræ ſcripturæ lib. I. de doctrina quoq; lib. I. in quinque libros Moyſi lib. totidem. In Cantica Canticorum lib. I. de pœnitentia ad patriarcham Byturicenſem lib. 4. de æquiuocis

myſticis

myſticis lib. I. de ſex alis Cherubin lib. I. de planctu naturæ lib. I. Summam virtutum & vitiorum lib. I. de parabolis lib. I. de arte prædicandi lib. I. Anticlaudianum lib. I. de maximis Theologiæ lib. I. de naturis animalium lib. I. Sermones quoque multos & epiſtolas ad diuerſos varias ſcripſiſſe dicitur, quæ ſi omnes reperiri poſſint neſcio: Denique in multos Bibliorum libros commẽtarios & lecturas elegantes compoſuiſſe fertur, præcipue in prophetas, Euangelium & Apoſtolum, ſed nihil eorum in manus noſtras memini perueniſſe. Claruit ſub Alberto Imperatore. Anno Domini mill. ccc.

*Wilhelmus monachus Haffligemenſis.*

WILHELMVS monachus Haffligemenſis ordinis ſancti Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularium que literarum non ignarus, carmine valens & proſa, edidit vtroque genere ſtylo videlicet alterno non ſpernenda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit: Sermones non inutiles ad populum & fratres lib. I. Vitam quoque ſanctæ Lutgardis lib. I. Viſiones etiam cuiuſdam ſanctimonialis lib. I. Alia quoq; multa edidit quæ ad noticiam meam non venerunt.

*Heinricus de Bruxellis monachus cœnobij Haffligemenſis.*

HEINRICVS de Bruxellis monachus eiuſdem cœnobij Haſligemenſis ordinis ſancti patris noſtri Benedicti, in ſcripturis ſanctis longa exercitatione peritus, & ſecularis litteraturę non ignarus, Philoſophus & Computiſta egregius, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit de ratione computi lib. I. Item Calendarium de incenſionibus lib. I. de aſtrolabio quoq; lib. I. Alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt.

*Eckardus ordinis prædicatorum.*

ECKARDVS ordinis (vt quidam volunt) prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, verbi diuini prædicator diligẽtiſſimus. Scripſit multa ſubtilia volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus repperi ſubiecta: Super ſententias lib. IIII. in Geneſim lib. I. in Exodum lib. I. in librum ſapientiæ lib. I. in Cantica Canticorum lib. I. in Euangelium Iohannis lib. I. Super oratione Dominica lib. I. Poſitionum ſuarum defenſionem lib. I. Sermones de tempore lib. I. Sermones de ſanctis lib. I. Collationes in capitulis prædicatorum & alias habitas & varias. Cætera quę compoſuit, ad noticiã noſtrę lectionis non venerunt. De quibuſdã dictis ſuis reprobatis, in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis fecimus mentionem. Claruit ſuo tempore in Auſtria maxime, vbi prædicando, docendo & ſcribendo in magna opinione populi eſt habitus.

*Petrus de Saxonia.*

PETRVS de Saxonia ordinis fratrum minorum, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & iuris canonici non ignarus, ſermone ſcholaſticus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis induſtriæ vir. Scripſit ſummam de caſibus prædicatoribus & confeſſoribus non inutilem, quæ ſuo tempore maximo in precio fuit. Item ſermones de tempore & de ſanctis lib. II. Alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur, ſed ad manus noſtras non venerunt.

*Conradus de Saxonia.*

CONRADVS de Saxonia eiuſdem ordinis fratrum minorum, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque ſecularibus literis ſufficienter doctus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. Super oratione Dominica lib. I. Super ſalutatione angelica lib. I. Sermones de tempore li. I. Sermones per quadrageſimam lib. I. Sermones de ſanctis lib. I. Denique in multos Bibliorum libros lecturas & commentarios elegantes feciſſe dicitur & alia compſura ſcripſiſſe, quæ ad noticiam meam non venerunt.

*Sibertus de Beka.*

SIBERTVS de Beka patria Gelrenſis ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, Prior prouincialis Alemaniæ inferioris, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & tam in iure canonico quam in philoſophia ſeculari egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. de cenſuris noui iuris ſummam notabilem lib. I. in regulam ordinis ſui lib. I. Sermones quoque & multos & varios. Ordinarium ſuæ religionis ſagaci intentione correxit. Sed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit in conuentu Colonienſi temporibus Ludouici Bauari, Imperatoris quarti: & Iohannis papę XXII. Anno Domini mill. ccc. XX.

*Iohannes de Blomendal.*

IOHANNES de Blomendal ordinis fratrum minorum, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus doctor egregius fuit. Scripſit inter cætera ſermones elegantes de tempore li. I. Sermones quoque per quadrageſimam li. I. Sermones etiã de ſanctis per anni circulũ li. I. Alia quoq; nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quę

ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Ludouico Bauaro Imperatore quarto, & Iohanne papa XXII. anno Domini mill.ccc.xxx.

*Iohannes Danckonius de Saxonia.*

IOHANNES Danckonis de Saxonia, vir vndecunque doctiſſimus, philoſophus & aſtronomus omnium ſui temporis eruditiſſimus, ingenio & eloquio clarus, aſtrorum ſciētiam Gallos Pariſienſes multo tempore docuit, apud quos in maximo honore habitus fuit. Scripſit quædam præclara opuſcula, de quibus ego tantum repperi ſubiecta. Canones primi mobilis. li.I. Tabulas eiuſdem lib.I. de aſtrolabio plano lib.I. de incenſionibus quoque lib.I. de Eclypſibus lib.I. de veritate & vtilitate ſcientiæ aſtronomicæ lib.I. Cætera quę compoſuit, ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit temporibus Ludouici Imperatoris quarti & Iohannis XXII. anno Domini mill.ccc.xxx.

*Petrus de Lutra, monachus cœnobij Lutrenſis.*

PETRVS de Lutra monachus ordinis Præmonſtratenſis cœnobij Lutrenſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis literaturæ non ignarus, philoſophus & iuriſta clariſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus. Scripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extant ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. in Euangelium Iohannis lib.I. Ad Baldeuinum Archiepiſcopum de prærogatiuis Eccleſię Treuerenſis lib.I. ſeptenarius candelabrorum de ſummi Pontificis eminentia lib.III. Cōtra fratrem Michaelem ordinis minorum quondam generalē, & ſibi adhærentes qui ſummum Pontificem impugnabant lib.I. de formula nuptiarum lib.I. ad Cardinalem Columnenſem de columnis myſticis lib.I. de ſacramento altaris lib.I. Epiſtolarum ad diuerſos lib.I. ſermones quoque varij de tempore & de ſanctis per anni circulum lib. II. alia quoq; multa edidit, quæ ad noticiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit temporibus Ludouici Bauari Imperatoris, & Iohannis papæ XXII. anno Domini mill. CCC. XXX.

*Lupoldus de Bebenburg epiſcopus Bambergenſis.*

LVPOLDVS de Bebenburg epiſcopus Bambergenſis Iohannis Andreæ Bononienſis quondam auditor atque diſcipulus, Iureconſultus omnium laude celeberrimus, & tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio cautus & promptus eloquio, ſcripſit quædam magnæ eruditionis opuſcula quibus nomen ſuum immortalitati conſecrauit. Volumen inſigne de zelo & feruore principum & nobilium Germanorum pro fide catholica & Romanæ ſedis honore atque præſulibus lib.I. Item de iuribus Romani imperij lib.I. Epiſtolas etiam multas ad diuerſos eleganter compoſuit. Sed & alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Ludouico Imperatore quarto. Et Benedicto papa XII. anno Domini mill.ccc.xl.

*Conradus de monte puellarum Canonicus eccleſiæ Ratiſponenſis.*

CONRADVS de monte puellarum canonicus Eccleſiæ Ratiſponenſis in Bauaria, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in ſeculari philoſophia doctiſſimus, ingenio ſubtilis & eloquio diſertus, in gymnaſio Erffordenſi artium liberalium rudimenta primum didicit, ac deinde ad Gallos ſe conferens, ſacris literis operam dedit, & Pariſijs in doctorem ſublimatus, multos in ſcientia ſalutari per octennium cum gloria informauit. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula. Super ſententias lib.IIII. Ad Lupoldum quoque ſupradictum epiſcopum Bambergenſem œconomicam valde inſignem lib. III. ad Ducem Auſtriæ monoſticam lib.I. Politicam quoque lib.I. diſputationes & quæſtiones varias Pariſijs determinauit. Sed & alia multa edidit, quæ ad noticiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit ſub Ludouico Bauaro Imperatore quarto. Anno Domini milleſimo ccc.xl.

*Heinricus de Vrimaria.*

HEINRICVS de Vrimaria ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini, vir in ſcripturis ſanctis à pueritia ſtudioſiſſimus & multum eruditus: atque in philoſophia Peripatheticorum nulli ſuo tempore apud Pariſienſes ſecundus, quippe qui cathedram doctoratus aſcendens multis annis Theologiam & philoſophiam in eodem gymnaſio publice docuit. Scripſit ad ædificationem legentium non pauca volumina, de quibus feruntur ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. Quæſtiones quodlibetariæ Pariſijs diſputatæ lib.I. de decem præceptis lib. I. Epitoma collationum ſanctorum patrum Iohannis Caſſiani lib. XXIIII. de perfectione hominis lib.I. de incarnatione Verbi lib. I. de inſtinctibus liber vnus qui à nonnullis Henrico de Haſſia aſcribitur. De exemptione lib.I. Expoſitio decretalis de celebratione Miſſarum lib. I. ſermones de tempore & de ſanctis lib.II. in multos quoque bibliorum & philoſophiæ Ariſtotelicæ libros commentarios ſcripſiſſe dicitur, aliosque diuerſos compoſuiſſe tractatus, qui in manus noſtras minime venerunt. Claruit ſub Ludouico Imperatore quarto. Anno Domini milleſimo ccc.xl.

*Ludolphus de Saxonia.*

LVDOLPHVS de Saxonia monachus Carthuſienſis domus Argentinenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio mitis, ſer-

tis,ſer-

tis,ſermone dulcis atque compoſitus,non minus vita quam ſcientia reuerendus. Scripſit quædam magnæ deuotionis & eruditionis opuſcula, quibus nomen ſuum ad noticiam poſteritatis cum gloria transmiſit. E quibus ego tantum repperi ſubiecta. Volumen magnum & inſigne opus,de vita & doctrina Domini noſtri Ieſu Chriſti,quod ex Euangelio trahens,prænotauit: Vitã Ieſu lib.II.item ſuper toto Pſalterio celeberrimũ opus lib.I. Alia quoq; nonnulla ſcripſiſſe dicitur,ſed in manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Ludouico Imperatore quarto,anno Domini mill.ccc.xxx.

*Simon de Spira.*

SIMON de Spira ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis, de monte Carmeli Prior prouincialis Alemaniæ,& cuiusdam Eccleſiæ Epiſcopus, doctor Pariſienſis,vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in philoſophia ſeculari egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus,qui in gymnaſio Colonienſi Theologiam multo tempore glorioſe docuit & magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. Contra Iudæos lib.I. Poſtillas quoq; varias ſcripturarũ quas Coloniæ legit. Sermones etiam non abijciendos lib.I. Alia quoq; nonnulla edidit,quæ necdum videre potui. Moritur Coloniæ in ſuo conuentu ſepultus,anno Domini mill.CCC.XL.indictione octaua,octauo Idus Ianuarij ſub Benedicto papa duodecimo.

*Iohannes de Saxonia.*

IOHANNES de Saxonia ordinis fratrum minorum,in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus,& tam in iure canonico quam in philoſophia peripathetica egregie doctus, atq; in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij vir. Scripſit nonnulla præclara volumina,quibus nomen ſuum ad noticiam poſteritatis memoriæ commendauit, è quibus extat notabilis ſumma de caſibus conſcientiæ confeſſionum auditoribus nõ inutilis lib.I. ſermones quoq; de tempore & de ſanctis lib.II. ſed & alia quædam nobis incognita. Claruit ſub Ludouico Bauaro anno Domini mill.ccc.xl.

*Iohannes Eligerus de Gondersleuen.*

IOHANNES Eligerus de Gondersleuen (domini Iohannis de Saxonia clariſſimi aſtronomi quondam auditor) vir in ſecularibus literis eruditiſſimus,philoſophus & aſtronomus inter omnes ſuo tempore celeberrimus,atque in diuinis ſcripturis non mediocriter doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit in Aſtronomia non ſpernenda volumina,quibus memoriam ſui poſteris commendauit,è quibus ſubiecta feruntur. De compoſitione aſtrolabij lib.I. de vtilitate aſtrolabij lib.I. de vtilitate quadrantis li.I. de magnete quoque lib.II. de aſtrogemetro lib. I. Et quædam alia nobis incognita. Claruit temporibus Caroli Imperatoris quarti, & Clementis papæ ſexti, anno Domini milleſimo ccc.L.

*Iohannes de Beka clericus Traiectenſis.*

IOHANNES de Beka clericus Traiectenſis Eccleſiæ,vir in ſcripturis ſanctis eruditus & ſecularium literarum non ignarus. Edidit quædam ingenij ſui non ſpernenda opuſcula,de quibus ego vidi tantum volumen aperto ſermone compoſitum ad dominum Iohannem Epiſcopum Traiectenſis Eccleſiæ,& Wilhelmum Ducem Hollandiæ de geſtis pontificum Traiectenſium & comitum ducumq; Hollandinorum incipiens à tempore ſancti Willibrordi primi Epiſcopi vſq; ad annũ Domini mill.ccc.XLVI. de cæteris nihil vidi. Claruit temporibus Ludouici Bauari & Caroli quarti Imperatorum, anno Domini mill.ccc.XLVIII.

*Thomas de Argentina.*

THOMAS de Argentina ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini,poſt Gregorium Ariminenſem,totius ordinis Prior generalis,vir in ſcripturis ſanctis doctiſſimus, & ſecularis philoſophiæ interpres præclarus,vita & conuerſatione inſignis,quippe qui ordinem ſuum verbo & exemplo ſtrenue gubernauit. Scripſit in diuinis ſcripturis quædam præclara volumina,quibus nomen ſuum ad noticiam poſteritatis cum gloria transmiſit. E quibus extat opus celeberrimum ſuper ſentẽtias Petri Lombardi li.IIII. Conſtitutiones ordinis lib.I. ſermones quoq; varij ad populum lib. II. Sed & quædam alia ſcripſiſſe dicitur,quę ad noticiam meam non venerunt. Claruit temporibus Caroli Imperatoris quarti,anno Domini mill.ccc.L.

*Heinricus Dolendorp.*

HEINRICVS Dolendorp, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli,Prior prouincialis inferioris Alemaniæ,vir doctus & eruditus,declamatorque ſermonum celeberrimus, ingenio præſtans & clarus eloquio: atque in enodandis quæſtionibus ſcripturarum diſputator acerrimus. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula, notabilem lecturam ſuper ſententias lib. IIII. Sermones quoq; & multos & elegantes ad populum lib.II. Alia quoque nonnulla edidit,quorum ad me noticia non peruenit. Moritur in conuentu ſuo Colonienſi ſepultus,anno Domini mill.ccc. LXVI. indictione tertia,quarto Idus Februarij ſub Carolo Imperatore quarto.

*Henricus de Erffordia.*

HEINRICVS de Erffordia, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecu-

laribus literis egregie doctus, philoſophus, iuriſta, Theologus & Chronographus celeberrimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit non ſpernendæ auctoritatis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus ſubiecta feruntur. Opus inſigne hiſtoriarum de memorabilibus factis lib. I. Summa quoque notabilis de caſibus conſcientię lib. I. Sermones multi, & alij diuerſi tractatus, ex quibus eum religioſum fuiſſe cõijcimus, quanquam ordinis ſui differentiam ignoremus. Claruit ſub Carolo quarto, anno Domini mill. CCC. L.

*Iohannes de Erffordia.*

IOHANNES de Erffordia ordinis fratrum minorum, doctor in diuinis ſcripturis illuminatus, & ſecularium literarum nõ ignarus, philoſophus & iuris vtriusque interpres doctiſſimus, ingenio ſubtilis & promptus eloquio. Scripſit magnæ vtilitatis plura volumina, quibus nomen ſuum ad noticiam poſteritatis cum gloria transmiſit. E quibus tamen pauca in manus noſtras peruenerunt. Tabula iuris lib. I. Summa quoque de caſibus cõſcientiæ auditoribus confeſſionum non inutilis lib. II. Sermones populares non inelegantes de tempore & de ſanctis lib. II. Cætera vero quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerunt.

*Thilmannus de Aquiſgrani.*

THILMANNVS de Aquiſgrani, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, poſt Heinricum de Dolendorp Prior prouincialis inferioris Alemaniæ, diuinarum ſcripturarum doctor inſignis, primum Pariſijs deinde Coloniæ Theologicæ ſcholæ præſidens tum docendo tum ſcribendo magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit. Scripſit inter cætera ingenij ſui opera, ſuper ſententias lib. IIII. In Euangelium quoque Matthæi lecturam notabilem, quam Coloniæ in conuentu ſuo publice legit lib. I. Quæſtiones etiam varias diſputauit. Sermones quoque multos & elegantes compoſuit. Et alia quædam nobis incognita. Claruit ſub Carolo quarto, anno Domini milleſimo CCC. LX.

*Iacobus de Altauilla abbas Eberbacenſis.*

IACOBVS de Altauilla patria Rinckaugienſis, Abbas monaſterij Eberbacẽſis quintusdecimus, ordinis Ciſtercienſis (quod in deſcenſu Rheni duobus ferme millibus à Moguntia diſtat) vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & ſecularium literarum non ignarus, gymnaſij Pariſienſis decus & doctor inſignis, ſcripſit ſuper ſententias notabile opus lib. IIII. Sed & quæſtiones varias Pariſijs diſputatas lib. I. ſermones quoque multos ad fratres, qui partim habentur, partim vero ex incuria ſubtracti ſunt. Epiſtolas etiam elegantes ad diuerſos edidit, & alia nobis incognita. Claruit ſub Carolo Imperatore quarto, anno Domini mill. CCC. LX.

*Iohannes de Ymenhuſen.*

IOHANNES de Ymenhuſen doctor Pariſienſis, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus, diſputator acutus. Scripſit inter cætera, ſuper ſententias inſigne volumen lib. IIII. ſermones quoque & varias quæſtiones ſcripturarum. Denique in quoſdam Bibliorũ libros commentarios elegantes feciſſe dicitur, & alia multa ſcripſiſſe, ſed in manus noſtras nihil eorum memini perueniſſe. Claruit ſub Carolo quarto, anno Domini milleſimo CCC. LX.

*Iohannes de Tambacho.*

IOHANNES de Tambacho, ordinis fratrum prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis multũ exercitatus & doctus, ſecularis quoque philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans & ſermone ſcholaſtico nitore compoſitus. Edidit quædam non ſpernenda volumina quibus nomen ſuum poſteris notificauit, è quibus ferunt ſubiecta: Opus grande & non abijciendum contra ſæuientis fortunæ iacula, non minus vtile quam iucundum, quod prænotauit. Conſolationem Theologiæ lib. XV. de ſenſibilibus delitijs paradiſi lib. I. ſermones quoq; de tempore & de ſanctis lib. II. & quædam alia. Claruit ſub Carolo quarto, anno Domini mill. CCC. LX.

*Iohannes de Hildeshem.*

IOHANNES de Hildenshem ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis, de monte Carmeli, Baccalaurius ſacræ Theologiæ, lector & prior Caſſelenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis omnium opinione ſuo tempore doctiſſimus, Theologus, Rhetor, Philoſophus, poetaque celeberrimus, in declamandis homelijs ad populum excellentis ingenij fuit. Scripſit autem multa præclara volumina: quibus nomen ſuum poſteris commendauit, è quibus extant ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. Ad Florentium Epiſcopum monaſterienſem, de translatione trium regum lib. I. Chronica quoque temporum lib. I. Defenſorium ordinum mendicantium contra Richardum archiepiſcopum Ardinachanũ lib. I. Opus metricum de monſtris in eccleſia lib. I. Opus ꝙ prænotatur, fons vitę lib. I. de Antichriſto li. I. Contra Iudęos li. I. in quẽdam turpia pingentẽ li. I. ſermones de tempore & de ſanctis li. I. epiſtolarũ ad diuerſos nu. LXXX. lib. I.

lib. Epigrammatum lib. I. Alia quoque multa edidit, quę ad noticiam meam non venerunt. Hic Iohannes beati Petri Thomæ patriarchæ Conſtantinopolitani, generalis magiſtri antea, in Auinione quondam reſidentis auditor & familiaris amicus fuit. Claruit ſub Carolo quarto. Anno Domini mill. CCC. LX.

*Albertus de Rickmerſdorp.*

ALBERTVS de Rickmersdorp patria Saxo, Epiſcopus Halberſtatenſis triceſimus primus in ordine, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, doctor Pariſienſis. Scripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus iſta feruntur: ſuper ſententias lib. IIII. in multos Ariſtotelis libros commentarios edidit. Variasque in ſcripturis ſanctis enucleauit quæſtiones. Sed & alia multa compoſuit, quę ad noticiam meam non venerunt. Recepit autem Epiſcopatum præfatæ Eccleſiæ Halberſtatenſis ab Vrbano papa quinto. Anno Domini milleſimo CCC. LXV. indictione tertia, & præfuit annis quatuot & viginti. Sepultus in maiori ſua Eccleſia Halberſtatenſi.

*Matthæus de Cracouia doctor.*

MATTHÆVS de Cracouia, doctor Pragenſis Epiſcopus Wormacienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, qui propter inæſtimabilem doctrinam primum Pragæ deinde Pariſijs Theologicæ ſcholæ præſidens conſtitutus, magnam legendo ſcribendoque gloriam inter doctores obtinuit. Scripſit multa præclara opuſcula, de quibus tamen pauca ad manus noſtras memini perueniſſe. Super ſententias lib. IIII. Ad Heinricum Epiſcopum Wormacienſem pulchrum volumen de prædeſtinatione, & quod Deus omnia bene fecerit, cuius interlocutores ſunt pater & filius, quod prænotauit rationale diuinorum operum lib. VII. de contractibus lib. I. de celebratione frequentanda vel intermittenda, dialogum cõſcientiæ & ratiocinationis lib. I. Ad epiſcopum Wormacienſem lib. I. Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. ſermones quoque varios. Cætera quæ compoſuit ad noticiã meam nõ venerunt. Moritur anno Domini, mill. CCC. IX. die quinta Martij Wormaciæ ſepultus.

*Iohannes Dencock.*

IOHANNES Dencock, ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini ex Saxonia oriundus, doctor Pragenſis, in ſcripturis ſanctis doctiſſimus & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio. Scripſit quædam præclara opuſcula, quibus nomen ſuum poſteris cõmendauit, è quibus ſubiecta feruntur. Super ſententias lib. IIII. Quæſtiones variarum poſitionum Pragæ diſputatæ lib. I. ſermones quoque de tempore & de ſanctis lib. II. Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. Cætera quæ compoſuit, ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Carolo Imperatore quarto, anno Domini milleſimo CCC. LX.

*Iohannes Fuſt.*

IOHANNES Fuſt, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, primum lector conuentus Crutzenacenſis in Comitatu Spanhemenſi ac deinde Prior Argentinẽſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis philoſophię nõ ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus, vita & conuerſatione deuotus, maximus & mirandus declamator ſermonum popularium. Scripſit inter cætera ingenij ſui monimenta. Quæſtiones ſententiarum lib. I. ſermones quoque de tempore & de ſanctis lib. IIII. item ſermones feriales per totam quadrageſimam lib. II. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit in conuentu ſuo Crutzennacenſi, vbi chlamydem Eliæ primum induit, ſub Carolo Imperatore quarto. Anno Domini milleſimo CCC. LXX.

*Gerardus Groyt dictus alias Magnus.*

GERARDVS Groyt dictus alias Magnus, Dauantrienſis, vir tam in diuinis quam in humanis ſcripturis & maxime in iure canonico doctiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit non ſpernendæ lectionis complura opuſcula, quibus nomen ſuum ad poſteros cum gloria transmiſit, è quibus iſta feruntur: de contractibus & vſuris lib. I. de inſtitutione nouitiorum lib. I. de locatione curę paſtoralis lib. I. de conuerſatione interna lib. I. de regimine monialium li. I. de incõmoditatibus matrimonij lib. I. Epiſtolarum quoq; ad diuerſos lib. I. ſermones etiã varios & inſuper multa edidit, quæ ad noticiam noſtræ lectionis nõ venerunt. Moritur ſub Wenceslao Imperatore. Anno Domini milleſimo CCC. LXXXIIII. indictione ſeptima,

*Conradus de Altzeya.*

CONRADVS de Altzeya oppido ducis Palatini comitis, in diœceſi Moguntina, tribus à Wormacia miliaribus ſito, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus, philoſophus & poeta celeberrimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit in vtroq; genere quædam non abijcienda volumina, quibus primum apud Pragenſes ac deinde in Erffordia magnam eruditionis laudem obtinuit, ſed pauca eorum ad noticiam meam peruenerunt, legi enim tan-

tum opuſculum quód carmine & rythmis eleganter compoſuit de puriſſima virgine Dei genetrice Maria, prænotatum liber figurarum lib. I. Scripſit etiam ad diuerſos multas elegantes epiſtolas, carmina quoque diuerſi generis multa lib. I. Et alia complura. Claruit ſub Carolo quarto, anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo.

*Bertrammus epiſcopus Theſelicenſis.*

BERTRAMMVS epiſcopus Theſelicenſis ordinis fratrum prædicatorum conuentus Confluentini, & Epiſcopi Metenſis in pontificalibus vicarius, vir in diuinis ſcripturis eruditus & inter doctores ſui temporis famoſiſſimus, ingenio præſtans & clarus eloquio, declamator quoque ſermonum egregius. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. Item ad Cunonem Archiepiſcopum Treuerenſem de illuſionibus dæmonum lib. I. Ad eundem de ſchiſmate lib. I. Sermones quoque varios ad populum & ad clerum, alia inſuper multa edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Moritur ſub Wenceslao Imperatore, anno Domini milleſimo CCC. LXXXVII. XIII. Calend. Februarij, indictione X. Sepultus in Confluentia Treuerenſis diœceſis in conuentu ſuo prædicatorum, vbi aliquando ordine ſuſcepto Prior fuit.

*Heinricus de Kalkar Carthuſ.*

HEINRICVS de Kalkar monachus ordinis Cartuſienſis & Prior domus ſanctæ Barbaræ in Colonia Agrippina, vir in diuinis ſcripturis illuminatum habens intellectum, ingenio præſtans & dulcis eloquio, vita quoque & conuerſatione deuotus. Edidit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quorum vſus deuotis fratribus non inutilis iudicatur. E quibus iſta feruntur. Exercitatorium monachale lib I. Loquagium de Rhetorica lib. I. Cantuagium de muſica lib. I. de ortu & proceſſu ordinis Carthuſienſis lib. I. Sermones quoque ad fratres non ſpernendos compoſuit, & quædam alia ad purgationem conſcientiarum maxime pertinentia. Claruit temporibus Wenceslai Imperatoris, anno Domini mill. CCC. XC.

*Iohannes Rusbrock.*

IOHANNES Rusbrock ordinis canonicorum regularium, prior monaſterij viridis vallis in Brabantia, vir ſtudioſus & deuotus. Scripſit inter cætera ingenij ſui opera. De ornatu ſpiritalium nuptiarum lib. III. De profectu religioſorum lib. I. Sermones quoque multos ad fratres, Epiſtolas etiam plures ad diuerſos lib. I. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad manus noſtras non venerunt. Huius viri ſcripta in tertio libro de ornatu ſpiritualium nuptiarũ, caute legenda ſunt, ſicut nos admonet Iohannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis in libro à ſe de hoc edito. Claruit ſub Wenceslao Imperatore non ſine opinione ſanctitatis, anno Domini mill. CCC. XC.

*Conradus monachus.*

CONRADVS monachus cœnobij fontis ſalutis in Sueuia, ordinis Ciſtercienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, & in ſecularibus literis non mediocriter doctus, ingenio clarus & apertus eloquio. Scripſit ſuper ſentẽtias lib. IIII. Sermones quoq; de tempore li. 2. ſermones de ſanctis li. 2. ſed & alia nonnulla edidit, quę ad manus noſtras nõ venerũt. Huius viri ſermones vulgo ſermones ſucci appellantur eo ꝙ ex ſuccis & medullis ſcripturarũ ſagaci ſtudio extracti ſunt. Sunt tamen qui fingant huius vocabuli rationẽ ex calceamentis ſumpſiſſe originẽ, eo ꝙ ſcedulas botis incluſas pro ſermonibus componendis ad chorum & alia loca ſecum portauerit. Claruiſſe perhibetur temporibus Wenceslai Imperatoris, anno Domini mill. CCC. XC.

*Iohannes de Schonhouen.*

IOHANNES de Schonhouen ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, Prior conuentus Mechlinienſis, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularium literarum non ignarus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij. Scripſit ad vtilitatem ſimplicium prædicatorum non abijcienda volumina, quibus memoriã ſui poſteris cõmendauit, Opus inſigne de vitijs & virtutibus omniq; materia prædicabili ſecundum ordinem alphabeti in duobus voluminibus, quod Græco vocabulo prænotauit Polypodion lib. II. Sermones quoque non inelegantes per anni circulum de tempore & ſanctis lib. II. Sed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quę ad noticiam meam non venerunt.

*Conradus de Zutphania.*

CONRADVS de Zutphania patria Gelrenſis, ordinis Canonicorum regularium cœnobij Windeshemenſis Traiectenſis diœceſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & non minus conuerſatione quam ſcientia venerabilis, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit ad eruditionem ſimplicium fratrum multa pręclara volumina, de quibus tamen pauca ad noticiam noſtræ lectionis peruenerunt, repperi enim duntaxat ſubiecta. De ſpiritualibus aſcenſionibus, deuotis viris valde vtilem tractatum lib. I. De reformatione quoque hominis interioris non abijciendum opus lib. I. ſermones etiam & multos & elegantes cõpoſuiſſe dicitur, quorũ lectio religioſis neceſſaria iudicatur. Cętera



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quæ ſcripſit etſi multa ſunt, tamen in manus noſtras minime peruenerunt. Claruit ſub Wenceſlao Imperatore, Anno Domini milleſimo cccc.

*Wilhelmus de Oppenbach Doctor Pariſienſis.*

WILHELMVS de Oppenbach doctor Pariſienſis in ſcripturis ſanctis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, in declamandis ad populum ſermonibus ſatis idoneus. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. Quæſtiones quoque varias quas Pariſijs & Coloniæ diſputauit lib. I. Sermones ad populum & Collationes varias ad clerum. Sed & alia nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Conſtat eum religioſum fuiſſe, ſed cuius ordinis fuerit nondum ſufficienter potui inuenire.

*Gerardus de Zutphania.*

GERARDVS de Zutphania alius à primo, gymnaſij Colonienſis decus ac ſacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, vir doct⁹ & valde venerabilis, ingenio ſubtilis & diſputator quæſtionum difficilium acutiſſimus. Scripſit quæſtiones ſententiarum notabiles lib. IIII. Quæſtiones etiam quodlibetarias ordinauit, in quibus multa pro eruditione diſcipulorum determinat. Alia quoque nonnulla edidit: quæ ad me non venerunt. Claruit circa tempora Wenceſlai & Ruperti Bauari Imperatorum, Anno Domini milleſimo cccc.

*Iohannes de Witlich.*

IOHANNES de Witlich oppidulo, Treuerenſis diœceſis (quod quatuor ferme milliaribus ab vrbe Treuerorum diſtat) vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia non mediocriter doctus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus, qui in gymnaſio Colonienſi ſacras literas aliquandiu publice docuit. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. in epiſtolas quoque beati Pauli Apoſtoli notabilem lecturam edidit, quam Coloniæ multis auditoribus publice recitauit. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Wenceſlao Imperatore anno Domini mill. cccc.

*Heinricus de Langenſtein.*

HEINRICVS de Langenſtein dictus de Haſſia, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio præſtans, ſermone ſcholaſticus, abundans & diffuſus, quippe qui multis annis in lectura Geneſeos conſumptis, vix ad quartum capitulum libri peruenit, ac totidem volumina compleuit. Fuit enim ad omnia reſolutus & in dicendo ſcribendoque copioſus, adeo vt apud eum maioris difficultatis fuerit, memoria digna ſponte occurrentia repellere, quam noua quæ dicerentur inuenire. Hunc quemadmodum ex quadam eius epiſtola repperi, Wormacienſis eccleſiæ Canonicum fuiſſe crediderim. Claruit primum in gymnaſio Pariſienſi, vbi & lauream doctoratus promeruit, deinde pro decore nouæ plantationis Wiennam ſe contulit, vbi docendo & ſcribendo magnam eruditionis ſuæ gloriam conſecutus eſt. De cuius opuſculis feruntur ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. in prologum Bibliorum galeatum lib. I. in principium Geneſis lib. IIII. Ad epiſcopum Friſingenſem de Antichriſto & ſchiſmate li. I. de cõtemplatione lib. I. de anima contemplatiua lib. I. Speculum animæ peccatricis lib. I. de ſeptem horis canonicis lib. I. Contra aſtrologos lib. I. Contra Thelefforum pronoſticatorem lib. I. Super Oratione Dominica lib. I. Super Aue Maria lib. I. Super ſymbolo Apoſtolorum lib. I. de contemptu mundi notabile volumen lib. I. Contra quendam Wicklefſitam hæreticum lib. I. Ad canonicos regulares lib. I. de proprietate monachorum lib. I. in Cantica Canticorum lib. I. Sermones de tempore & de ſanctis lib. II. Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. Alia quoque multa edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Sunt qui ſcribant eũ Wormacienſem epiſcopũ fuiſſe. Alij Warmienſem in Sleſia, Matthęumq; Cracouienſem ad eũ de prædeſtinatione ſeptẽ ſcripſiſſe libellos, nomen quidẽ conſentit, non tempus, veritatem ſtudioſis inquirendam relinquimus. Claruit ſub Wenceſlao Imperatore anno Domini mill. cccc.

*Iohannes Gluel ordinis fratrum B. Mariæ.*

IOHANNES Gluel de Aquiſgrani ciuitate imperiali oriundus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de mõte Carmeli, prior Colonienſis, vir in diuinis ſcripturis egregie doctus & ſecularis literaturæ non ignarus, in declamandis ad populũ ſermonibus excellẽtis ingenij. Scripſit inter cætera ſtudij ſui opera, de origine & profectu ordinis ſui volumẽ quod pręnotauit, Speculũ Carmelitarum lib. I. Sermones quoq; de tempore & de ſanctis per anni circulũ lib. I. Sermones etiã per quadrageſimã li. I. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit Coloniæ vbi & ſepultus eſt.

*Heinricus de Cuta, ſiue Oyta D. Pariſienſis.*

HEINRICVS de Cuta ſiue Oyta, doctor Pariſienſis, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & & eruditus, & in philoſopia Ariſtotelica nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus & declamator ſermonum egregius, gymnaſij Wiennenſis in Auſtria vnicum decus & complantator primarius. Scripſit quædam præclara in ſcripturis volumi-

na,quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus iſta repperi: ſuper ſententias lib.I. Quodlibeta quoque lib.I. de contractibus lib.I. de conceptione beatæ Mariæ ſemper virginis lib.I. ſermones varios. De cæteris quæ ſcripſit nihil vidi. Claruit ſub Wenceslao anno Domini mill. ccc.xc.

*Henricus de Andernacho.*

HEINRICVS de Andernacho ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis, de monte Carmeli, conuentus Colonienſis, vir in ſcripturis ſanctis longo ſtudio exercitatus & doctus atque in philoſophia Ariſtotelica ſubtiliter imbutus, ingenio excellens & declamator ſermonum egregius, qui primum gymnaſium Pariſienſe ac deinde Colonienſe ſua eruditione & præſentia decorauit. Scripſit inſigne opus ſuper ſententias lib.IIII. Quæſtiones notabiles philoſophiæ lib.I. Sermones de tempore & de ſanctis per circulũ anni lib.II. Cætera quæ compoſuit, ad noticiam meam non venerunt.

*Iohannes Abbas monaſterij ſancti Bauonis.*

IOHANNES Abbas monaſterij ſancti Bauonis in Gandauo, ordinis diui patris Benedicti, doctor & profeſſor diuinarum ſcripturarum egregius, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, non minus religioſa conuerſatione quam ſcientia venerabilis. Scripſit libellum notabilem de eſu carnium, in quo ſubtiliter diſputans concludit ſecundum regulam ſancti Benedicti & ſanctiones Iuris, quod eſus carnium ſano monacho illicitus ſit, & ideo penitus interdictus. Scripſit etiã in regulam noſtram declarationes lib.I. Quæſtiones quoq; ſententiarum li.I. Varios præterea multipliceſque fertur ſcripſiſſe tractatus, qui ad nos minime peruenerunt.

*Iohannes de Werdẽa Coloniẽſis diœceſis.*

IOHANNES de Werdena Colonienſis diœceſis ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, vir in diuinis ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in philoſophia naturali ſufficienter doctus, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus, declamator ſermonum popularium ſuo tempore omnium celeberrimus. Scripſit ſermones de tempore & de ſanctis valde notabiles, qui hodie vulgo dicuntur, ſermones dormi ſecure, eo quod ſine labore quilibet prædicator in eis proficere poſſit. Sermones quoq; per quadrageſimam lib.I. Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Claruit in conuentu Colonienſi ſub Wenceslao Imperatore. Anno Domini mill. ccc.

*Iohannes de Duren.*

IOHANNES de Duren ordinis fratrum minorum Colonienſis diœceſis diuini verbi prædicator non ocioſus, ingenio clarus, ſermone facundus, & tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis ſtudioſus & doctus. Scripſit ad vtilitatem ſimplicium fratrum quædam non ſpernenda volumina, quibus nomen ſuum & præſentibus & poſteris notificauit, è quibus iſta repperi: De ſeptem peccatis lib.I. de occultis vitijs & peccatis lib.I. de manifeſtis vitijs lib.I. de confeſſione lib.I. Sermones de tempore lib.I. Sermones quoque de ſanctis lib.I. Sermones etiam per quadrageſimam lib.I. Cætera quæ compoſuit, ad manus noſtras minime venerunt.

*Arnoldus de Auſtria.*

ARNOLDVS de Auſtria ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Wenenſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis & diſputator quæſtionũ egregius. Scripſit inſigne volumen ſuper ſententias lib.IIII. ſermones etiã elegantes & varias in ſcripturis quæſtiones. Sed & alia nonnulla compoſuiſſe dicitur, quę ad manus noſtras non venerunt.

*Thomas de Haſelbach.*

THOMAS de Haſelbach, in ſcripturis ſanctis eruditus, & in ſeculari philoſophia probe doctus, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus, ſed in pleriſque nimis diffuſus & prolixus, & ob id quorũdam iudicio obnoxius, nam cum eſſet gymnaſij Wenenſis lector ordinarius, vno & viginti annis in Eſaia legens ad finem primi capituli (vt ferunt) non peruenit. Scripſit autem in Eſaiam prophetam multa volumina, quæ neſcio ſi omnia repeпriantur. Super ſententias quoque lib.IIII. de decem præceptis decalogi lib.I. de quinque ſenſibus hominis lib. I. Sermones quoque multos de tempore & de ſanctis lib.II. Et alia multa. Claruit ſub Ruperto Bauaro Imperatore anno Domini milleſimo cccc.x.

*Iohannes Brãmart.*

IOHANNES Brammart ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli conuentus Aquenſis & Prior prouincialis inferioris Alemaniæ doctor Pariſienſis, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit inſigne opus ſuper ſententias lib.IIII. Sermones quoque multos & varias quæſtiones, & quædam alia quæ in manus noſtras non venerunt. Tandem poſt multa bona prouinciæ ſuæ impenſa, moritur ſub Ruperto Bauaro Imperatore anno Domini milleſimo cccc. VII. indictione quintadecima. Coloniæ in medio chori ſui conuentus ſepultus.

THOMAS

*Thomas de Kempis.*

THOMAS de Kempis, ordinis Canonicorum regularium ſancti Auguſtini, montis diuæ martyris & virginis Agnetis, prope Zvvollis in diœceſi Traiectenſi, vir in ſcripturis ſtudioſus & eruditus, vita & conuerſatione deuotus, & beatæ Mariæ Dei parentis cultor præcipuus, Gerardi Magni, Dauantrienſis (vt ferunt) quondam diſcipulus, de quo mirifica narrantur. Scripſit quædam deuota volumina, de quibus feruntur ſubiecta: De contemptu mundi & imitatione Chriſti lib. 4. ſermonum ad nouitios lib. 3. dialogus nouitiorum lib. 1. ſermonum ad fratres lib. 1. de vita ſolitaria lib 1. de tribus tabernaculis lib. 1. de vera compunctione lib. 1. Hortulus roſarum ſpiritualium lib. 1. vallis liliorum lib. 1. Alphabetum monachi lib. 1. conſolatio pauperum lib. 1. Epitaphium monachi lib. 1. qualis debeat eſſe monachus lib. 1. Manuale paruulorum lib. 1. Doctrinale iuuenum lib. 1. de vanitate mundi & contemptu eius lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1 & alia. Claruit temporibus Ruperti Bauari Imperatoris clariſſimi, Anno Domini Milleſimo CCCCX. Et notandum quod duo feruntur huius fuiſſe nominis, ambo de Kempis, ambo regulares in monte ſanctæ Agnetis, ambo ingenio præſtantes & ambo varia cudentes opuſcula, quorum primus temporibus magiſtri Gerardi Magni ad religionem conuerſus diuinis reuelationibus dignus habitus, ea quæ ſupra recenſuimus opuſcula ſcripſiſſe dicitur, Secundus vero adhuc noſtris temporibus pene viguit in humanis, & varia compoſuit quæ ad manus noſtras non venerunt. Et forſitan primo nonnulla ſunt aſcripta quæ ſecundus feciſſe putatur. Libellus autem de imitatione Chriſti primi fertur auctoris, quem ante multos annos ſeniores noſtri, ſuos ferunt legiſſe ſeniores, quamuis ſciam nonnullos in hac re ſentire contrarium. Claruit autem Thomas iſte ſenior, ſub Ruperto Bauaro Imperatore, Anno Domini M.CCCCX.

*Michael Herbrant de Duren, conuentus Crutzennacenſis.*

MICHAEL Herbrant de Duren, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, Prior conuentus Crutzennacenſis Moguntinæ diœceſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & multarum rerum experientia clarus, ingenio promptus, ſermone luculentus, diuini quoque verbi prædicator ſeu declamator egregius. Scripſit quædam non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extant multi elegantes ſermones lib. 1. collationes quoque & multæ & variæ quas in ſynodis & capitulis habuit lib. 1. epiſtolas inſuper multas ſcripſit ad diuerſos. Et quædam alia. Claruit ſub Ruperto Imperatore, Anno Domini Milleſimo CCCCX.

*Petrus de Spira.*

PETRVS de Spira ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio præſtans, ſermone facundus, ſermonumque popularium declamator egregius, Scripſit non abiiciendos de tempore & de ſanctis ſermones lib. 2. in libros quoque Ethicorum Ariſtotelis lib. 8. alia quoque nonnulla compoſuit tam in diuinis ſcripturis quam in ſeculari philoſophia quam Ariſtotelicam vocant, quæ ad manus noſtras non venerunt.

*Reinardus de Fronthouen.*

REINARDVS de Fronthouen, ordinis (vt ferunt) fratrum prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & longa exercitatione peritus. Scripſit declamatoribus ſermonum popularium non abijcienda volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extant non inutiles ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. ſermones quoq; per quadrageſimam lib. 1. de ſermonum thematibus formandis lib. 1. Et quædam alia quæ ad me non venerunt. Claruiſſe dicitur in conuentu Confluentino temporibus Ruperti Imperatoris, Anno Domini M.CCCCX.

*Henricus de Coſueldia.*

HENRICVS de Coſueldia monachus ordinis Carthuſienſis, Prior domus ſanctæ Mariæ prope montem diuæ Gertrudis in Hollandia, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, vita & conuerſatione deuotus & magnæ opinionis. Scripſit pro ædificatione ſimplicium & deuotorum fratrum multa præclara volumina, de quibus ego duntaxat repperi ſubiecta. Expoſitionē myſticam in Exodum lib. 1. in epiſtolam ſancti Pauli Apoſtoli ad Romanos lib. 1. de tribus votis ſubſtantialibus religionis lib. 2. contra vitium proprietatis religioſorum lib. 1. de tribus cuſtodiis monachicis lib. 1. de inſtitutione nouitiorum lib. 1. Circumciſorium myſticum lib 1. de Sacramento altaris lib 1. de annunciatione Dominica lib. 1. Eulogium Pauli primi Heremitæ lib. 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. epiſtolas quoque plures ad diuerſos. Wilhelmi Pariſienſis arduum opus de vniuerſo corporeo & incorporeo, mira induſtria perluſtrans, breui compendio pulchre concluſit. Scripſit & alia nonnulla quæ ad notitiam noſtram minime venerunt. Moritur in domo vallis gratiæ prope Brugas, viſitationis actu ſalubriter intentus, ſeptimo Idus Iulii, Anno Domini M.CCCCX. indictione tertia.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Heinricus de Hachenberg ordinis prædicatorum.*

HEINRICVS de Hachenberg ordinis fratrum prædicatorum conuentus Confluentini, vir ſtudioſus & exercitatum habens intellectum ſcripturarum, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij & magnæ opinionis. Scripſit inter cætera exercitationis ſuæ opera, ſermones de tempore lib. 1. ſermones de ſanctis lib. 1. ſermones quoque de quadrageſima lib. 1. ſed & alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur quæ ad notitiam meã non venerunt.

*Iordanus ordinis S. Auguſtini de heremo.*

IORDANVS ordinis fratrum ſancti Auguſtini de heremo Argentinenſis, vir deuotus & diuinarum ſcripturarum explanator ac interpres egregius, in declamandis ſermonibus excellentiſſimi ingenij. Scripſit plures elegantes & deuotis fratribus vtiles tractatus, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit. E quibus tamen pauca in manus noſtras peruenerunt. In Apocalypſin Iohannis lib. 1. Apologiam pro ordine ſuo lib. 1. de paſſione Domini lib. 1. ſermones de tempore lib. 1. ſermones de ſanctis lib. 1. ſermones per quadrageſimam lib. 1. & alia complura. Claruit ſub Ruperto Bauaro Romanorum Imperatore, Anno Domini M.CCCCX.

*Vincentius Grunerfundator gymnaſii Liptzenſis.*

VINCENTIVS Gruner de Zuickauia, Doctor Pragenſis, & fundator gymnaſij Liptzenſis, vir in diuinis Scripturis eruditus: & in philoſophia ſeculari egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, edidit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus nomen ſuum ad notitiam poſteritatis cum gloria tranſmiſit, è quibus extat, Lectura notabilis ſuper officio Miſſæ, quam in nouella præfati Liptzenſis gymnaſij plantatione publice legit lib. 1. ſuper ſententias quoq; lib. 4. & variæ quæſtiones diſputatæ lib. 1. cætera quæ compoſuit, ad notitiam meam nõ venerunt. Claruit tempore translationis gymnaſij Pragenſis in ciuitatem Liptzenſem Miſnenſis Marchionatus prouinciam, circa Annos Domini M.CCCCX. ſub Ruperto Imperatore.

*Iohannes epiſcopus Lombarienſis ordinis prædicatorum.*

IOHANNES epiſcopus Lombarienſis ordinis fratrum prædicatorum ex Baſilea ciuitate Germaniæ oriundus, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio præſtans & clarus eloquio, declamatorque ſermonum celeberrimus. Edidit nonnulla præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad poſteritatis notitiam tranſmiſit, è quibus extat opus inſigne ſuper ſententias lib. 4. ſermones quoque varij. Et quædam alia nobis incognita. Claruit circa tempora Ruperti & Sigiſmundi Imperatorum, Anno Domini M.CCCCX.

*Iohannes monachus S. Benedicti.*

IOHANNES monachus cœnobij Caſtellenſis ordinis diui patris noſtri Benedicti, in diœceſi Eyſtetenſi, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſeculariumque literarum non ignarus, ingenio prõptus & clarus eloquio, theologus, philoſophus & Rhetor inſignis. Scripſit multa præclara volumina, de quibus ego tantum repperi ſubiecta. In regulam ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti celeberrimum opus in duobus magnis voluminibus. Item breuiarium Bibliorum lib. 1. ſermones elegantes de tempore & de ſanctis lib. 2. de paſſione quoque Domini quadraginta duos ſermones lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. de illuſtribus viris ordinis noſtri lib. 1. ſed & alia multa edidit, quæ ad notitiam noſtræ lectionis non venerunt. Claruit eo ferme tempore, quo reformatio Caſtellenſis viguit, ſub Ruperto & Sigiſmundo Imperatoribus, Anno Domini M. CCCCX.

*Iohannes Zacharias de Erffordia.*

IOHANNES Zacharias de Erffordia, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſputator acutus, qui Gymnaſium Effordenſe ſententiarum maieſtate decorauit. Scripſit ſuper ſententias Petri Lombardi lib. 4. in Geneſim quoque lib. 1. in Exodum lib. 1. in Leuiticum lib. 1. in epiſtolas Pauli lib. 14. ſermones multós, & varias determinationes quæſtionum. Sed & alia nonnulla compoſuiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Sigiſmundi Imperatoris, & in magno concilio Conſtantienſi diſputando contra hæreticos Huſſitas, magnifice laudatus eſt, Anno Domini M. CCCCXVII.

*Nicolaus de Dunckelſpuel Doctor Wenenſis.*

NICOLAVS de Dinckelſpuel Doctor Wenenſis, vir in diuinis Scripturis eruditiſſimus & in ſeculari philoſophia quam Ariſtotelicam vocant, probe inſtructus, acer ingenio, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione præcipuus. Scripſit multa præclara volumina, de quibus ego duntaxat repperi ſubiecta. Super ſententias lib. 4. Quęſtiones quoque ſententiarum lib. 1. de ſeptem donis ſpiritus Sancti lib. 1. de decem præceptis lib. 1. ſuper oratione dominica lib. 1. de octo beatitudinibus lib. 1. de tribus partibus pœnitentiæ lib. 1 de octo vitijs capitalibus lib. 1. de ſeptem peccatis mortalibus lib. 1. de præcepto charitatis lib. 2. de peccatis linguæ lib. 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. alios quoque ſermones morales lib. 1. ſed & alia multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic ab vniuerſitate Wenenſi miſſus ad concilium magnum Conſtantienſe, vnus de

ſummi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſummi pontificis inſtitutione ex parte nationis Germanicę Elector conſtitutus fuit, ſicut in geſtis eiuſdem concilij habetur. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini M. CCCCXX.

*Petrus de Roſenhem.*

PETRVS de Roſenhem, monachus cœnobij Mellicenſis in partibus Auſtriæ, ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis magnifice doctus, philoſophus & poeta excellens, ingenio promptus & clarus eloquio. Scripſit metro & proſa non abijcienda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus legi volumen metricum quod Nicolao Dinckelſpuel perſuadente & rogante, compoſuit ad dominum Brandam, Cardinalem ſancti Clementis, Legatum apoſtolicum in Auſtria, ſuper omnia Bibliorum capita quod prænotauit Roſeum memoriale diuinorum eloquiorum lib. 1. Hiſtoriam quoque ſiue Chronicon temporum lib. 1. ſermones multos & varios lib. 2. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. alia quoq; multa edidit, quæ ad notitiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit temporibus concilij Conſtantienſis, & Sigiſmundi Imperatoris, Anno Domini M. CCCCXX.

*Nicolaus monachus S. Crucis.*

NICOLAVS monachus cœnobij ſanctæ crucis in Auſtria ordinis Ciſtercienſis, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & doctus ac veterum lectione diues, ingenio excellens & clarus eloquio. Scripſit quædam non ſpernendæ vtilitatis opuſcula, quibus ingenij ſui viuacitatem poſteris oſtendit. E quibus extant ſubiecta, opus in laudem beatæ Mariæ Dei genetricis, diuini verbi prædicatoribus non inutile, quod prænotauit, imaginem ſanctæ Mariæ lib. 3. ſermones varij lib. 2. epiſtolæ quoque plures ad diuerſos, cætera quæ compoſuit, in manus noſtras non venerunt. Claruit temporibus concilij Conſtantienſis & Sigiſmundi clementiſſimi Imperatoris, Anno Domini M. CCCCXX. & varia in ſcripturis ſanctis compoſuit ſyntagmata.

*Hermannus Petra de Stutdorp.*

HERMANNVS Petra de Stutdorp, monachus ordinis Carthuſienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus vita & conuerſatione deuotus, vicarius & Rector domus ſanctimonialium diuæ matris Annæ iuxta Brugas in Flandria, vbi per annos nouem & viginti in magna religione & doctrina claruit. Scripſit ingenij ſui quædam deuotioni congrua volumina, è quibus extant ſubiecta: De regimine monialium lib. 1. ſermones quoque de tempore lib. 3. ſermones de ſanctis lib. 3. ſuper oratione Dominica ſermones quinquaginta lib. 1. alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur ſub Sigiſmundo Imperatore & Martino Papa quinto, Anno Domini M. CCCCXXVIII. Nono Cal. Maij, indictione autem ſexta.

*Henricus de Haſſia iunior.*

HENRICVS de Haſſia iunior, monachus ordinis Carthuſienſis, Prior domus monachorum ſanctæ Mariæ, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, edidit multa præclara volumina, quibus nominis ſui memoriam poſteris reliquit, & multa eorum ante religionis ingreſſum publice in Gymnaſijs vniuerſalibus legit, e quibus iſta feruntur: Super ſententias lib. 4. in Geneſim quoque lib. 1. in Exodum lib. 1. in parabolas Salomonis lib. 1. in Apocalypſin Iohannis lib. 1. Dialogus inter epiſcopum & presbyterum de celebratione miſſarum lib. 1. ſermones varij & vtiles lib. 2. ſed & alia multa compoſuit, quæ ad manus noſtras minime venerunt. Moritur ſub Sigiſmundo Imperatore, & Martino papa quinto, Anno Domini Milleſimo CCCCXXVIII. indictione ſexta.

*Iohannes dictus Placth Doctor.*

IOHANNES dictus Placth Doctor Heydelbergenſis, in ſcripturis ſanctis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, nec minus honeſtate conuerſationis quam ſcientia literarum venerabilis, in declamandis quoque ſermonibus ad populum ſatis idoneus & facundus, ſcripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula, volumen magnum & inſigne de fide Catholica, ſuper capitulo firmiter credimus, quod in Gymnaſio præfato Heydelbergenſi ordinarie & publice legit. Item ſcripſit varias quæſtiones ſententiarum lib. 1. contra errores Bohemorum, lib. 1. ſermones ad populum multos. Quæſtiones ad clerum varias. Quæſtiones plures, quas in ſcholis diſputauit, alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini M. CCCCXXX.

*Ioannes de Diepurgo.*

IOHANNES de Diepurgo, dictus de Franckfordia, Doctor Heydelbergenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio clarus, ſermone apertus, diſputator acutus, & declamator ſermonum popularium facundiſſimus, Ludouici Comitis Palatini Rheni Duciſq; Bauariæ ob ſingularem doctrinam & prudentiam Capellanus & ſecretarius, aç in multis arduis negotijs ad reges

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& principes ſæpe legatus. Scripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, de quibus repperi ſubiecta: Contra Huſſitas Bohemos hæreticos lib. 1. contra Scabinos occulti iudicij Feymeros appellatos lib. 1. de contractibus lib. 1. de prædeſtinatione lib. 1. ſermones populares lib. 2. orationem coram rege Franciæ habitam. Orationem quoque coram rege Angliæ, orationem coram duce Sabaudiæ. Orationes alias & multas & varias lib. 1. Quæſtiones etiam plures in ſcholis diſputatas lib. 1. epiſtolas quoque varias, & quædam alia ſcripſit adhuc mihi incognita. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini Milleſimo CCCCXXX.

*Henricus de Gulpen Abbas monaſterii ſancti Ægidii Nurenburgenſis.*

HENRICVS de Gulpen Abbas monaſterij ſancti Ægidij Nurenburgenſis, ordinis diui patris noſtri Benedicti, Doctor decretorum, & tam in diuinis quam in ſecularibus ſcripturis ſtudioſus & eruditus, nec minus religioſa conuerſatione quam ſcientia ſcripturarum venerandus (cuius ingenij promptitudinem & conſilij prouidentiam Iohannes Hider quandoque expertus in libro de formicis commendat) Scripſit eleganter ſuper VII. diſti. de pœnitentia lib. 1. item ſuper diſ. de conſecratione lib. 1. de paſſione Domini lib. 1. & quædam alia. Claruit in concilio Conſtantienſi perſonaliter, cum adhuc ſecularis magiſter artium & ſtudens iuris haberetur. Ac in concilio Baſilienſi iam Doctor & Abbas ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini M.CCCCXXX.

*Rudolphus de Bruxella.*

RVDOLPHVS de Bruxella vico Sueuiæ oriundus in diœceſi Spirenſi, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia quam Ariſtotelicam vocant egregie doctus, ſacrarum literarum inſignis profeſſor, qui in gymnaſio Heydelbergenſi eruditionis ſuæ laudes docendo & ſcribendo ingentes acquiſiuit. Scripſit in ea facultate quædam præclara opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus ferũtur iſta: Quæſtiones ſententiarum libr. 1. ſermones multi perutiles. Quæſtiones variæ in ſcholis diſputatæ. Orationes multæ ad patres eiuſdem Gymnaſij. Cætera quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerunt. Claruit in concilio Baſilienſi, Anno Domini Milleſimo CCCCXXXV.

*Henricus de Gauda.*

HENRICVS de Gauda, vir in ſcripturis ſanctis longo ſtudio peritus, ingenio ſubtilis & diſputator quæſtionum ſcholaſticalium acerrimus, in Gymnaſio Heydelbergenſi tum docendo tum ſcribendo, cathedram magiſterij promeruit. Scripſit quædam ingenij ſui præclara monumenta, quibus ſe vtilem præſentibus exhibuit & memorabilem futuris. Ex his repperi tantum, ſuper tertio libro ſententiarum lib. 1. de miſſarum quoque celebratione lib. 1. Orationes varias in vniuerſitate habitas. Quæſtiones quoque multas in ſcholis egregie diſputatas. De cæteris vero quæ compoſuit, nihil ad manus noſtras peruenit. Claruit temporibus concilij Baſilienſis ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini M. CCCCXXXV.

*Nicolaus de Suſato Weſtphalus.*

NICOLAVS de Suſato patria Weſtphalus, Gymnaſij Heydelbergenſis decus & columna, ſacræ Theologiæ Doctor inſignis, apud Ludouicum Comitem Palatinũ Rheni Ducemque Bauariæ in precio habitus, & in concilio Conſtantienſi ad eligendum ſummum pontificem ex Germanica natione vna cum reliquis cardinalibus adiunctus. Scripſit ingenij ſui quædam præclara monumenta, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus repperi tantum, quæſtiones notabiles ſententiarum lib. 1. ſermones & orationes plures & elegantes, & varias quæſtiones de diuerſis materijs in Scholis diſputatas, cætera quæ compoſuit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit in præfato concilio Conſtantienſis, Anno Domini M.CCCCXVII. & deinceps.

*Iohannes Gritſch Baſilienſis.*

IOHANNES Gritſch ordinis fratrum prædicatorum patria Baſilienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & tam in iure canonico quã in ceteris ſecularis philoſophię literis longa exercitatione peritus, declamator ſermonum popularium egregius, ingenio præſtans & clarus eloquio. Scripſit prædicatoribus diuini verbi non ſpernenda opuſcula, quibus memoriam ſui poſteritati commendauit. E quibus extant ſermones de tempore & de ſanctis libr. 2. ſermones per quadrageſimam lib. 1. de paſſione quoque Domini lib. 1. & alia plura. Claruit (vt ſui ferunt) temporibus Sigiſmundi Imperatoris, & concilii Baſilienſis, Anno Domini M.CCCCXXXV.

*Iohannes Nider.*

IOHANNES Nider eiuſdem ordinis fratrum prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in philoſophia ſcholaſtica probe inſtructus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij, Hæreticæ prauitatis multo tempore inquiſitor, & muliercularum quas maleficas vulgus appellat acerrimus perſequutor. Scripſit aperto quidem ſermone ſed non ſernenda volumina, de quibus extant ſubiecta. De contractibus mercatorum lib. 1. de lepra morali libr. 1. de præceptis decalogi lib. 1. de formicis lib. 5. in qui-

in quibus multa & varia narrat miracula ſuis temporibus facta; Conſolatorium timoratæ conſcientiæ lib. 1. ſpeculum perfectionis lib. 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. ſermones per quadrageſimam lib. 1. & alia multa. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore tempore conſilij Conſtantienſis Baſilienſis, Anno Domini M.CCCCXXX.

*Heimericus de Campo, gymnaſij Colonienſi Vicecancellarius.*

HEIMERICVS de Campo, Gymnaſii Colonienſis vicecancellarius, vir in diuinis ſcripturis erudiriſſimus, & in ſeculari philoſophia nulli ſuo tempore ſecundus, ingenio ſubtilis, & difficilium quæſtionum diſputator acerrimus. Scripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, de quibus tamen pauca in manus noſtras peruenerunt. Super ſententias libr. 4. ad Nicolaum de Cuſa, poſtea Cardinalem, ſcripſit Compendium quæſtionum lib. 1. de Eſſe & eſſentia lib. 1. Compendium diuinorum lib. 4. de auctoritate generalis concilij, vtrum ſit ſupra papam lib. 1. quæſtiones varias diſputatas in ſcholis lib. 1. ſermones quoque multos & varias orationes compoſuit, denique in artibus & philoſophia multa ſcripſit multa expoſuit, multa declarauit, quæ in Colonieſi Gymnaſio in precio habētur. Claruit in cōcilio Baſilieſi miſſus ab vniuerſitate ſua vbi multa ſcripſit & diſputauit, Anno Domini M.CCCCXXXVIII. ſub Alberto Imperatore.

*Nicolaus Lackman ordinis minorum.*

NICOLAVS Lackman ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, miniſter prouincialis Saxoniæ, Doctor diuinarum ſcripturarum profundus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia quam Ariſtotelicam vocant, egregie doctus, ingenio clarus, diſputator acutus, declamator ſermonum celeberrimus. Scripſit ſuper ſententias lib. 4. quæſtionum quoque lib. 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. alia inſuper multa compoſuiſſe dicitur, quæ ad notitiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit in concilio Baſilienſi, Anno Domini M.CCCCXL.

*Iohannes de Schonhouia.*

IOHANNES de Schonhouia, ordinis canonicorum regularium ſancti Auguſtini, monaſterii viridis vallis in Brabantia, Cameracenſis diœceſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit quædam non ſpernendæ lectionis opuſcula, quorum lectio deuotis fratribus perquam vtilis iudicatur. E quibus iſta feruntur. Exhortatorium ſpirituale ad nepotem ſuum lib. 1. de curſu monachi lib. 1 de profectu monachi li. 1. defenſorium Iohannis Rusbroch contra Iohannem de Gerſon lib. 1. ſermones quoque varios edidit, & plures ad diuerſos epiſtolas. Et alia complura. Claruit tempore concilij Conſtantienſis ſub Sigiſmundo Imperatore, Anno Domini M.CCCCXX.

*Hugo Sletſtatinus.*

HVGO Sletſtatinus ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in philoſophorum traditionibus egregie doctus, inſignis diſputator, & Bonauenturæ interpres celeberrimus, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus. Scripſit inſigne opus ſuper ſententias lib. 4. ſermones quoque & varias in ſcripturis diuinis quæſtiones. Alia inſuper multa edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

*Heinricus de Eymbeck, dictus magiſter Engelus.*

HEINRICVS de Eymbeck dictus magiſter Engelus, patria Saxo, doctor ſacræ Theologiæ celeberrimus, ingenio ſubtilis, ore facundus, ſcientia & morum honeſtate præclarus, qui ſacras literas & philoſophiam multis annis docuit in Gymnaſio Pragenſi. Scripſit multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus Pragæ legit & compleuit, Anno Domini Milleſimo CCCLXXIII. inſigne opus ſuper ſententias lib. 4. de Logica quoque lib. 1. vocabulorum lib. 1. cætera, quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerunt. Moritur in Herdegeſſen prope oppidum Gottingenſe in Saxonia, Anno Domini Milleſimo CCCCXXX. indictione VIII. ſub Sigiſmundo Imperatore.

*Petrus de Colle.*

PETRVS de Colle, ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, vir in ſcripturis ſanctis eruditus, & in philoſophia ſcholaſtica egregie doctus, ſacræ Theologiæ Profeſſor, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus facundus & luculentus. Edidit ad ædificationem legentium nonnulla volumina, de quibus tamen pauca in notitiam meam peruenerunt. Legi ſub eius nomine inſtructum volumen de auctoritate concilij generalis, vbi poſteaquam multa diſputauit pro concilio concludit. Fertur etiam ſcripſiſſe notabiles quæſtiones ſententiarum lib. 1. ſermones quoque varios lib. 1. cætera me latēt. Claruit in cōcilio Baſilienſi perſonaliter, Anno Domini M.CCCCXL. ſub Frederico tertio.

*Hermannus monachus Campenſis.*

HERMANNVS monachus cœnobij Campenſis quod ſitum eſt in Weſtphalia, monaſterienſis diœceſis, vir ſtudioſus & eruditus, & tam in iure canonico quam in diuinis ſcripturis egregie doctus, ingenio ſubtilis & apertus eloquio. Scripſit nonnulla exercitij opuſcula, quibus pro defenſione Baſilienſis concilij non mediocriter labora-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uit, è quibus vidi volumen, quod prænotauit de vocibus diffinitiuis in concilio generali, in quo concludit quod omnes qui in concilio locum habuerint etiam voces debeant habere diffinitiuas. Item de auctoritate papæ & concilij lib. 1. de natura quoque ſchiſmatis lib. 1. de neutralitate lib. 1. de cæteris (quamquam multa ſcripſit) ad me nihil peruenit. Claruit tempore concilij Baſilienſis, Anno Domini M.CCCCXL. ſub exordio regni Frederici tertij.

*Iohannes Gauvver.*

IOHANNES Gauvver ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Moguntinenſis, ſacræ Theologiæ lector, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio, declamator ſermonum popularium egregius. Scripſit ſuper ſententias lib. 4. in Exodum lib. 1. de concordantia Euangeliſtarum quod opus prænotauit vnum ex quatuor lib. 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. ſermones quoque per quadrageſimam triplices libr. 3. ſed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit temporibus concilij Baſilienſis, Anno Domini M.CCCCXL.

*Gerardus de Stredam.*

GERARDVS de Stredam, monachus ordinis Carthuſienſis, Prior domus Apoſtolorum prope Leodium, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus & eruditus, ingenio mitis & dulcis eloquio, non minus conuerſatione quam ſcientia venerandus. Scripſit ad ædificationem legentium quædam præclara volumina, de quibus feruntur ſubiecta. Ad quendam noſtri ordinis abbatem cœnobij ſancti Adriani Geraldi montis de cura paſtorali lib. 1. de decem præceptis lib. 1. de ſeptem Sacramentis lib. 1. ſpeculum religioſorum, librum vnum. In morem dialogi de virtutibus lib. 1. de vitijs quoque eodem ſcribēdi genere lib. 1. ſermones de tempore lib. 1. ſermones de ſanctis lib. 1. de cæteris nihil reperi. Moritur Anno Domini M.CCCCXLIIII. indictione VI. ſub Frederico Imperatore tertio.

*Henricus de Werlis.*

HENRICVS de Werlis ordinis fratrum minorum ſancti Franciſci, miniſter prouinciæ Colonienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio excellens, doctor Gymnaſij Agrippinenſis, diſputator acutus & diuini verbi prædicator egregius. Scripſit quædam præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati cōmendauit. E quibus tamen pauca in notitiam noſtram peruenerunt, ſuper ſententias lib. 4. de auctoritate ſeu poteſtate Eccleſiaſtica & concilij generalis lib. 1. ſermones quoque ad populum & plures & elegantes lib. 1. Cætera quæ compoſuit, notitiam meam necdum incidiſſe memini. Claruit in concilio Baſilienſi, Anno Domini M.CCCC. & deinceps.

*Winandus de Stega paſtor Eccleſiæ Bacheracenſis.*

WINANDVS de Stega paſtor eccleſiæ Bacheracenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus atque in ſecularibus literis non mediocriter doctus, Hebræo latinoque peritus eloquio, ingenio præſtans, ſermone ſcholaſticus, qui pro defenſione præfatę eccleſiæ Bacheracenſis multa ſuſtinuit incommoda. Scripſit nōnulla præclara opuſcula quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus ego legi volumen in Hebræorum libros veteris teſtamenti non ſpernendum lib. 4. item in quinque libros Moyſi lib. 5. in his omnibus noſtra exemplaria confert Hebraicis, & in quibus diſſonent oſtendit. Dicitur autem & alia multa ſcripſiſſe præſertim ſermones & varios tractatus ſcripturarum, qui tamen in manus noſtras minime peruenerunt. Claruit tempore concilij Baſilienſis, & cōpleuit præfata opera ſua, Anno Domini M.CCCCXL. indictione tertia.

*Iohannes Erneſti Gymnaſij Heydelbergenſis rector.*

IOHANNES Erneſti Gymnaſij Heydelbergenſis decus quondam & Rector, in ſcripturis ſanctis eruditus & veterum lectione diues, ingenio ſubtilis, eloquio ſingulari venuſtate diſertus, quæſtionum quoque ſcholaſticalium diſputator egregius. Scripſit quædam præclara opuſcula, quibus nominis ſui memoriam cum laude tranſmiſit ad poſteros, de quorum numero ſubiecta feruntur. Quæſtiones ſententiarum lib. 1. quæſtiones variæ in ſcholis diſputatæ lib. 1. de auctoritate concilij generalis lib. 1. ſermones multi ad populum lib. 1. orationes quoque & multas & elegantes habuit, è quibus nonnullas legi. Cætera vero quæ compoſuit ad manus noſtras non venerunt. Claruit tempore concilij Baſilienſis, ſub Frederico tertio, Anno Domini M.CCCCXL.

*Andreas de Traiecto, monachus cœnobij Spanheimenſis.*

ANDREAS de Traiecto, monachus noſtri cœnobij Spanhemenſis ordinis diui patris Benedicti, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis ſufficiēter doctus, ingenio præſtans & clarus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit gemino ſtylo non abiicienda opuſcula, de quibus habentur ſubiecta. Soliloquium hominis ad Deum lib. 1. de profectu virtutum lib. 1. de abſtinentia carnium lib. 1. de vſu floccorum in ordine noſtro lib. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. ſermones & orationes variæ lib. 1. carmina ſeu epigrammata varia lib. 1. & quædam alia breuia: ſed non iniucunda. Moritur Anno Domini M.CCCCLXVI. indictione XIIII.

*Dominicus monachus ordinis Carthuſienſis.*

DOMINICVS monachus ordinis Carthuſienſis domus ſancti Albani prope Treuerim: natione quidem Pruthenus, vir doctus atque deuotiſſimus, qui pluſquam quinquaginta annis in ordine ſuo laudabiliter vixit. Scripſit quædam pro deuotione non ſpernenda volumina, quibus ingenium ſuum vtiliter exercitauit. E quibus iſta repperi: volumen quod prænotatur ſonus epulantis, eo quod ipſum comedendo ferme & ruminando in ſolitudine cellæ ſuæ ediderit. Aliud quod prænotare voluit Coronam beatæ Mariæ ſemper virginis, in quo vitam ipſius lapidibus precioſis comparat. Item tertium opus quod ſcripſit, prætitulauit; librum experientiæ, in quo varias reuelationes ſibi diuinitus factas interſerit. Vidi olim & ipſius quædam opuſcula, quorum titulos à memoria tulit obliuio. Moritur non ſine opinione ſanctitatis, Anno Domini Milleſimo CCCCLX. indictione VIII. II. Cal. Ianuarij. Treueris in cœmiterio fratrum ſuorum communi, vt petijt, ſepultus.

*Bartholomeus Prior domus Bethlehem Ruremundenſis.*

BARTHOLOMÆVS monachus ordinis Carthuſienſis, Prior domus Bethleem Ruremundenſis oppidi Gelriæ, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, earumq; acutus deuotus & celebratæ opinionis interpres. Scripſit ad ædificationē fratrum ſuorū quædam præclara opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta: Exercitium deuotionis lib. I. ſumma vitiorum vel deſtructorium vitiorum opus inſigne lib. I. de abſtinentia ab eſu carnium lib. I. de proclamationibus fratrum in capitulo lib. I. de temerario iudicio lib. I. de iuramento lib. I. de voto quoque lib. I. cætera quæ ſcripſit ad notitiam meam non venerunt. Moritur tandem poſt multa ſancta exercitia ſub Frederico Imperatore tertio, Anno Dominicæ incarnationis Milleſimo quadringenteſimo XLVI. indictione IX. quarto Idus Iulij.

*Iohannes Rode.*

IOHANNES Rode, abbas monaſterij ſancti Matthiæ Apoſtoli, prope Treuerim, ordinis diui patris Benedicti, ex vrbe Treuerorum oriundus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in iure canonico egregie doctus, vita & conuerſatione deuotus, qui regularis obſeruantiæ celeberrimus extitit inſtaurator, ex cuius labore & fundamento nouiſſima ordinis noſtri reformatio Burſfeldenſis in Germania cœpit. Hic quondam literis operam dedit in Heydelbergenſi Gymnaſio, vbi Baccalarius ſacræ Theologiæ canonumque Licentiatus doctiſſimus euadens, iam mente & corpore mundum contemnere videbatur. Nam cum eſſet Metenſis Eccleſiæ canonicus, & ſancti Simeonis Treuerenſis Decanus, atque curiæ Treuerenſis officialis, omnia pro Chriſti amore contempſit, & ordinem monachorum Carthuſienſium iuxta Treuerim ingreſſus, non multo poſt in Priorem concorditer eſt electus. Poſtremo ad inſtantiam domini Ottonis Archiepiſcopi Treuerenſis mandato Apoſtolico de Carthuſia extractus Abbas præfati monaſterij conſtituitur, & eius induſtria multa cœnobia reformantur. Scripſit pro inſtauratione regularis diſciplinæ conſtitutiones notabiles lib. I. de regimine Abbatis libr. I. & quædam alia. Moritur Anno Domini M. CCCCXXXIX. indictione ſecunda, prima die menſis Septembris. Anno Abbacialis officij XX. ſub Alberto Imperatore.

*Nicolaus de Cuſa epiſcopus Brixinenſis.*

NICOLAVS de Cuſa epiſcopus Brixinenſis, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, tituli ſancti Petri ad vincula, oriundus ex diœceſi Treuerenſi villa circa Moſellam, quæ Cuſa dicitur, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & Theologorum ſui temporis facile princeps, in ſecularibus quoque literis egregie doctus, philoſophus, Rhetor & Mathematicus omnium celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, triū linguarum principalium Hebraicæ, Grçcæ & Latinæ peritus, vita & conuerſatione integerrimus & ſingulariter deuotus, ſalutis animarum ſyncerus, & feruidus amator, declamator ſermonum facundiſſimus, vitiorum omnium hoſtis acerrimus, conſtantia animi immutabilis, honeſtorum laborum etiam in ſenectute patientiſſimus, ſupra opinionem eloquens. Hiſtorias omnes memoria retinebat, in diſciplinis mathematicis ſuo tempore doctior eo fuit nemo. Ius ciuile & pontificium & patrum decreta memoriter recitabat, philoſophiæ Ariſtotelicæ acutiſſimus diſputator fuit. Theologiæ vero Chriſtianæ ſummus interpres & magiſter, ſicut Iohānes Andreas epiſcopus Alerienſis Apoſtolicæ Bibliothecæ ſecretarius in quodam loco latius teſtatur. Is Nicolaus in Germaniam ſuam legatus Apoſtolicus deſtinatus, pro reformatione Eccleſiæ & religionis monaſticæ multa vtilia fecit & ſtatuit. Scripſit autem ſubiecta opuſcula. De viſione Dei lib. I. de pace fidei libr. I. de reparatione Calendarij lib. I. de mathematicis complementis lib. I. cribrationem Alchorani lib. 3. de venatione ſapientiæ libr. I. de ludo globi myſticum opus libr. 2. compendium lib. I. Trialogum de poſſeſſ. lib. I. de mathematica perfectione lib. I. contra hæreſim Bohemorum lib. I. de Berillo lib. I. de dato patris luminum li. I. de quærendo Deo librum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vnum. De apice Theoriæ librum 1. de docta ignorantia lib. 3. de coniecturis libr. 2. de filiatione Dei librum 1. de Geneſi lib. 1. Idiotæ de ſapientia lib. 4. de quadratura circuli lib. 1. de fortuna lib. 1. directorium ſpeculantis libr. 1. ſermones quoque pulcherrimos per totum annum libr. 1. epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. & alia complura edidit, quæ ad notitiam meã non venerunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, Anno Domini M.CCCCLXIIII. indictione XII. tertio Idus Auguſti, Anno ætatis ſuæ LXIII.

*Heinricus Kaltyſen.*

HEINRICVS Kaltyſen, patria Confluentinus ordinis fratrum prædicatorum conuentus vrbis natiuæ, Archiepiſcopus Eccleſiarum Nydroſienſis Cæſarienſis in Norvvegia, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, eloquio ſcholaſticus, declamator ſermonum facundiſſimus. Scripſit ingenij ſui quædam præclara volumina, de quibus extant ſubiecta: Super Magnificat libr. 1. quæſtiones variæ & pene ſine numero in ſcholis & alibi diſputatæ lib 1. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. ſermones per quadrageſimam lib. 1. fertur etiam ſuper ſententias magiſtri Petri Lombardi, magnum & inſigne volumen ſcripſiſſe, quod nec dum vidi, & alia. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLXV. indictione XIII. ſexto nonas Octobris, ſepultus Confluentiæ.

*Heinricus de Gorickē.*

HEINRICVS de Gorickem, ſacræ Theologiæ Doctor eruditus, & ſecularis philoſophiæ interpres egregrius, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, diſputator acutus, qui in Gymnaſio Colonienſi magiſtrali cathedræ præſidens, docendo, ſcribendo & explanando magnam eruditionis ſuæ laudem promeruit. Scripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quorum numero ſubiecta feruntur. Concluſiones ſententiarum lib. 1. de ſuperſtitionibus lib. 1. de feſtorum celebratione lib. 1. contra Huſſitas hæreticos lib. 1. ſummarium dictorum ſancti Thomæ libr. 1. ſermones & collationes variæ. Quæſtiones quoque & determinationes varias lecturas, libros & diuerſos tractatus ſcripſiſſe dicitur ſed in manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore III. & Pio papa II. Anno Domini M.CCCCLX.

*Iohannes Kanneman.*

IOHANNES Kanneman, ordinis fratrum minorum: vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, in declamandis ſermonibus ad populum egregius fuit. Hic de poteſtate eccleſiaſtica aliter ſenſiſſe dicitur quam debuit, vnde multorum contra ſe ingenia prouocauit. Qui cum à miniſtro Saxoniæ quæreretur ad carcerē, fuga lapſus ad obſeruantiam ſe contulit, & errorem ſuum cum vita deinceps emendauit. Corripuerat eum iam pridem Iohannes de Hagen monachus Carthuſienſis vir doctiſſimus, & ad ſemitas iuſtitiæ reuocauit. Scripſit autem inter multa nobis quidem incognita, etiam ſubiecta: Defenſorium ſuarum propoſitionum lib. 1. de paſſione Domini valde notabilem tractatum, ſermones de tempore & de ſanctis libr. 2. epiſtolas quoque & varias quæſtiones. De cæteris nihil reppe-ri. Claruit temporibus Frederici Imperatoris tertij, & Pij papæ ſecundi, Anno Domini M.CCCCLX.

*Iacobus Lunterbuk.*

IACOBVS Iunterbuck, monachus ordinis Carthuſienſis domus ſaluatoris Erffordenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & canonici iuris interpres præcipuus, ingenio promptus, ſermone apertus, vita & conuerſatione deuotus. Hic antea cuiuſdam cœnobij ordinis Ciſtercienſis abbas fuiſſe dicitur, & ob ſpem emendationis vitæ, dignitatem paſtoralis curæ cum ordine deſeruiſſe, locumque in præfato ſancti ſaluatoris monte impetraſſe, vbi ſcribendo & diſſerendo fama diuulgatus, vſque adeo nomen Doctoris obtinuit, vt eius verba ſcriptaque quaſi pro Apollinis oraculo haberentur. De cuius opuſculis iſta feruntur. De anno Iubilæo lib. 1. de cauſſis multarum paſſionum li. 1. de moribus Chriſtianorum librum vnum. de triplici ſtatu hominum libr. 1. conſolatio malorum huius ſeculi libr. 1. de modo ſeruandi interdictum libr. 1. Apologeticus religioſorum lib. 1 de cautelis diuerſorum ſtatuum lib 1. de cognitione ſecretorum euentuum li. 1. de veritate dicenda vel tacenda lib. 1. de cogitationibus lib. 1. de contractibus libr. 1. de malis huius ſeculi lib. 1. de obedientia monachorum librum vnum. de ſtabilitate monachorum lib. 1. de arte moriendi libr. 1. de refrenatione cogitationum libr. 1. Soliloquium hominis ad animam ſuam lib. 1. de arte curandi vitia li. 1. de ſeptem peccatis mortalibus actualibus lib. 1. de ſeptem peccatis mortalibus mentalibus libr. 1. de poteſtate Dæmonum lib. 1. de dignitate prælatorum li. 1. de dignitate ſacerdotij libr. 1. de obſeruantia mandatorum lib. 3. de ſtatu ſecurioris vitæ lib. 1. de ſabbato libr. 1. de intentionis directione libr. 1. de profectu vitæ ſpiritalis librum vnum. de indulgentijs libr. 1. de bono morali & remedio contra tentationes libr. 1. de duabus ciuitatibus Hieruſalem videlicet & Babylone libr. 1.

Directo-

Directorium ordinis ſui lib.1. de confirmatione ſtatutorum ordinis Carthuſienſis lib 1. de his qui frequenter vel tarde celebrant lib.1. Modus reſiſtendi tentationibus lib.1. ſermones de tempore & de ſanctis lib.1. alia quoque multa edidit, quæ in manus noſtras non venerunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLXVI. indictione XIIII.

GOSVVINVS de Hex, patria Brabantinus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Vliſſinēſis epiſcopus Ieropolitanus, Traiectenſis epiſcopi vicarius in pontificalibus, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio promptus & clarus eloquio, declamator quoque ſermonum popularium celeberrimus. Scripſit de decem præceptis lib.1. directorium quoque conturbatæ conſcientiæ lib.1. ſermones de tempore & de ſanctis lib.2. ſed & alia complura ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minime venerunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, Anno Domini Milleſimo CCCCLXXV. indictione octaua. Calendis Aprilibus.

*Goſvvinus de Hex Brabantinus.*

IOHANNES de Aurbach presbyter & canonicus Eccleſiæ Bambergenſis, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & decretorum Doctor egregius, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, qui Gymnaſium Erffordenſe ſua eruditione & præſentia tum docendo tum ſcribendo multo tempore illuſtrauit. Scripſit multa præclara volumina, quibus nomen ſuum ad memoriam poſteritatis tranſmiſit, è quibus ego tantum repperi ſubiecta: Proceſſum iudiciarium lib.2. de ſacramentis quoque lib.1. cætera quæ compoſuit, ad manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLXX.

*Iohannes de Aurbach.*

HENRICVS de Herp, ordinis fratrum minorum de obſeruantia, prouinciæ Colonienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & iuris pontificij non ignarus, ingenio promptus, ſermone apertus, vita & conuerſatione deuotus, atque ſermonum popularium declamator egregius. Scripſit non abijcienda opuſcula, de quorum numero extant ſubiecta: De decem præceptis magnum & inſigne volumen lib.1. de tribus partibus pœnitentiæ lib.1. ſermones de tempore & de ſanctis lib.2. ſermones per aduentum lib.1. ſermones quoque per quadrageſimam lib.1. de cæteris vero nihil repperi. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo LXX.

*Heinricus de Herp.*

IOHANNES de Mechilinia, in ſcripturis ſanctis longo ſtudio exercitatus, & in philoſophia ſcholaſtica non mediocriter doctus, ingenio excellens & apertus eloquio, in Gymnaſio Colonienſi diuinas ſcripturas multis annis egregie docuit, & magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit. Scripſit ſuper ſententias libr.4. in toto Pſalterio libr.1. quæſtiones varias in ſcholis diſputatas lib.1. ſermones quoque. Alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Pio papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLX.

*Iohannes de Mechilinia.*

DIONYSIVS Rikel de Lebis, monachus ordinis Carthuſienſis domus Bethleem Ruremundenſis in Gelria, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & continua exercitatione probe doctus, ſecularis quoque philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione ſingulariter deuotus adeo vt etiam diuinis reuelationibus dignus ſit habitus, tot & tanta ſcripſit vt numero voluminum apud Latinos (præter Auguſtinum) parem habuerit neminem, contemplationi vero & orationi cum tanto feruore ſolebat inſiſtere, vt nihil vnquam ſcribere potuiſſe videretur. Rurſum tam continuus erat in ſtudio legendi atque ſcribendi, vt eum nec orare nec contemplari poſſe æſtimares. Somni parciſſimi erat, cibi & potus abſtinentia admirabilis, qui diui exemplo Hieronymi die ac nocte in lege Domini meditari dulce iudicabat, ſemper aut legens aut ſcribens aliquid vtile, ita vt lectionem oratio ſæpe interrumperet, & orationem lectio continuaret. De huius ſtudioſiſſimi viri opuſculis ſubiecta repperi. Super ſententias libros quatuor in Geneſim libr.1. in Exodum libr.1. in Leuiticum libr.1. in Numeros li.1. in Deuteronomium lib.1. in Ioſuæ libr.1. in Iudicum lib.1. in Ruth lib.1. in Regum lib.4. in Paralipomenon lib.2. in Eſdram lib.3. in Neemiam libr.1. in Thobiam lib.1. in Heſter lib 1. in Iudith lib.1. in Iob lib.1. in prouerbia Salomonis lib.1. in Eccleſiaſten lib.1. in cantica canticorum lib.1. in librum ſapientiæ libr.1. in Eccleſiaſticum lib.1. in Eſaiam prophetam librum vnum. in Hieremiam lib.1. in librum Baruch lib.1. in Ezechielem libr.1. in Danielem libr.1. in duodecim prophetas minores libr.12. in libros Macha-

*Dionyſius Rikel de Lebis Carthuſianus.*

beorum lib.2.in Pſalterium lib.3.in Euangelium Matthæi lib.1.in Marcum librum vnum. in Lucam quoque lib.1.in Iohannem lib.1. in omnes epiſtolas Pauli lib.14. in actus Apoſtolorum lib.1.in Epiſtolas canonicas lib.8.in Apocalypſin Iohannis librum vnum. Expoſitionem hymnorum lib.1. in ſeptem pſalmos pœnitentiales libr.1. de documentis autenticis libr.1. Expoſitionis Miſſæ lib.1. Dialogum de celebratione Miſſarum lib.1. de ſacra communione lib. vnum. Compendium philoſophiæ lib.1. compendium Theologiæ libr. 1. Dialogum inter philoſophum & Theologum lib.1. ſuper libris beati Dionyſij martyris lib.4. in XI. epiſtolas eiuſdem lib.1. in librum Iohannis Clymachi lib.1. in Boetium de cõſolatu philoſophiæ lib.5. ſummarium partium ſancti Thomæ lib.1. ſermones de tempore & de ſanctis lib.2. ad religioſos quoque ſermones de tempore & de ſanctis lib.2. de venerabili Sacramento ſermones ſex li.1. expoſitionis Dominicæ paſſionis libr.1. meditationes Dominicæ paſſionis li.1. de laudibus ſuperlaudabilis Dei li.1. de laudibus ſanctæ Mariæ lib.4. de fonte ſalutis & ſemitis vitæ lib.1. de lumine Chriſtianæ Theoriæ lib.1. de venuſtate mundi lib.1. de natura veri & æterni Dei lib.1. de diuina eſſentia libr.1. de diſtantia diuinæ perfectionis & humanæ lib.1. de felicitate animæ libr.1. de beneficiis Dei libr.1 de mutua ſanctorum agnitione in patria lib.1. de donis ſpiritus Sancti libr.1. Cordiale libr.1. de cuſtodia cordis lib.1 de gaudio & pace interna lib.1. de via purgatiua lib.1. Dialogum de fide Catholica librum vnum. Dialogum inter Chriſtianum & Saracenum li.1. contra magos & Valdenſes libr.1. contra varias ſuperſtitiones libr.1. de vitijs & virtutibus libr.1. contra ambitionem lib.1. contra Saracenos lib.3. de grauitate peccati lib.1. de contemptu mundi lib.1. de modo iudicandi & corrigendi lib.1. de remedijs tentationum libr.1. ſpeculum peccatoris libr.1. de quatuor nouiſſimis librum vnum. de reformatione interna librum vnum. de iudicio particulari libr.1. de paſſionibus animæ libr.1. de diſcretione ſpirituum libr.1. de profectu charitatis lib.1. de perfectione charitatis libr.1. inflammatorium diuini amoris lib.1. de contemplatione lib.1. de oratione libr.1. de meditatione libr.1. alium quẽ prænotauit: Sonum epulantis lib.1. de proceſſionibus quæ fiunt in Eccleſia lib.1. de eleuatione mentis in Deum lib.1. de poteſtate & auctoritate Papæ libr.2. de auctoritate concilij generalis lib.3. de reformatione vniuerſalis Eccleſiæ libr.1. contra ſymoniam libr.2. de reformatione clauſtralium lib.1. contra pluralitatem beneficiorum lib.1. de regulis vitæ Chriſtianorum lib.1. de reformatione monialium lib.1. de profeſſione religioſorum lib.1. Exhortatorium ad nouitios lib.1. de vita & regimine præſulum lib.1. de inſtitutione ordinis Carthuſienſis lib.1. de laudibus eiuſdem ordinis lib.1. de viſitatione clauſtralium libr.1. de vita canonicorum lib.1. de diſciplina ſcholarium libr.1. de vita militarium libr.1. de ſancta virginitate lib.1. de officio Archidiaconi lib.1. de officio Legati librum vnum. de regimine prælatorum lib.1. de vita & regimine Curatorum libr.1. de vita nobilium libr.1. de regimine principum lib.1. Dialogum inter Chriſtum & principem lib.1. Dialogum inter Chriſtum & vxorem principis lib.1. de regimine politiæ vrbium libr.1. Dialogum inter Ieſum & puerum lib.1. de vita viduarum lib.1. de vita coniugatorum li.1. de vita incluſarum li.1. de vita ſolitaria lib.1. de officio mercatorum li.1. Dialogum Ieſu & ſacerdotis li.1. contra vitium proprietatis monachorum libr.1. Reuelationum ſibi diuinitus oſtenſarum li.1. annotationem operum ſuorum li.1. collationes tres pro diuerſis capitulis. Epiſtolas multas ad Nicolaum de Cuſa cardinalem, & alios diuerſos edidit. Sed & alia multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Opuſcula Iohannis Caſſiani ad ſtylum faciliorem reduxit, propter fratres quoſque ſimpliciores. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLXXI. indictione quarta. In die beati Gregorij, quæ eſt 12. menſis Martij, ſepultus cum fratribus ſuis in cœmiterio communi præfatæ domus Ruremundenſis, non ſine opinione ſanctitatis.

*Iohannes de Hagen, alias de Indagine.*

IOHANNES de Hagen, alias de Indagine, monachus ordinis Carthuſienſis domus montis ſancti ſaluatoris Erffordiæ, Prior in Iſennach, & in Stetin, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus, atque in iure canonico egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, conſilio facilis & prouidus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit multa præclara volumina, ad Reges, principes, Epiſcopos & alios Eccleſiarum prælatos, de variis ac diuerſis materijs & quæſtionibus interrogatus, de quibus tamen pauca in manus noſtras peruenerunt, videlicet: De laude paupertatis librum vnum. de vita religioſorum librum vnum. de caſu religionis libr.1. de vita adoleſcentulorum librum vnum. de humilitate & ſuperbia librum vnum. de ornatu interiori lib.1. de acceſſu ad nouum hominẽ li.1. de gratia & libero hominis arbitrio li.1. de correptione & gratia Dei li.1. de natura & gratia lib.1. de perſeuerantia li.1. de ſpiritu, corpore & anima li.1. de mandatis prælato-

prælatorum libr.1. de charitate lib.1. de dilectione Dei lib.1. de meditatione lib.1. de inquiſitione ſummi boni libr.1. contra errores Bohemorum li.1. ad epiſcopum Ratiſponēſem contra eoſdem li.4. ad Marchionem Brandenburgenſem li.1. ad vniuerſitatē Erffordenſem lib.1. in regulam ſancti patris noſtri Benedicti li.1. de doctrinis peregrinis cauēdis li.1 de cognitione futurorum li.1. de viſione Tundali quid ſit de ea ſentiendum lib.1. de viſione Danielis VII.c. lib.1. de apparitione cuiuſdam mulieris defunctæ lib.1. de futuris prodigijs lib.1. Planctus ſolitarij libr.1. de cruciata contra hæreticos lib.1. de auferibilitate Sponſi ab Eccleſia lib. 1. de tempore ſchiſmatis libr.1. de auctoritate Papæ in concilio generali lib.1. de poteſtate Eccleſiaſtica lib.1. de correctione fraterna lib.1. quid tenendum ſit de paruulis non baptiſatis morientibus lib.1. de iudice contra conſcientiam iudicante lib.1. contra flagellatores hæreticos lib.1. de eo vtrum aliquis ſine profeſſione cenſendus ſit religioſus lib.1. de ieiunio quintæ feriæ libr.1. de iuſto & iniuſto bello libr.1. de doctrina Eccleſiæ lib.1. de auditione Miſſarum libr.1. contra fratrem Iohannem Kanneman ordinis minorum libr.1. de vita ſpiritali libr.1. de diſcretione cogitationum libr.1. de vera & falſa pœnitentia lib.1. de modo confitendi lib.1. de audiendis confeſſionibus lib.1. de arte memoratiua ſpirituali lib.1. de quatuor ſacræ Scripturæ ſenſibus lib.1. de contemplatione lib.1. de interdicto lib.1. ad Rudolphum epiſcopum Lauantinum lib.1. de falſis prophetis lib.1. de communicatione ſub vtraque ſpecie lib.1. in dedicatione eccleſiæ ſermones quinque. De tempore & de ſanctis ſermones multi lib.2. in libros regum ſecundum quadruplicem ſacræ Scripturæ ſenſum lib.4. epiſtolarum ad diuerſos lib. vnum. In multos denique libros Bibliorum commentarios non inutiles compoſuit, qui ad manus noſtras minime venerunt. Sed & alios tractatus pluſquam trecentos & variarum quæſtionum ſolutiones pene innumerabiles edidit, qui à multis habentur. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio & Pio papa ſecundo, Anno Domini M.CCCCLX.

*Iacobus de Gruytrode.*

IACOBVS de Gruytrode, monachus Carthuſienſis ordinis, Prior domus omnium Apoſtolorum prope Leodium, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit quædam pro deuotione fratrum non inutilia volumina, de quibus feruntur ſubiecta, de veris virtutibus lib.3. de ſeptem peccatis mortalibus lib.1. de quatuor nouiſſimis lib.1. de vita Domini Ieſu lib.1. de præparatione ſacerdotis ante miſſam lib. 1. diffinitio nominis monachi lib.1. Meditationes paſſionis Domini lib.1. Lectionarius menſæ lib.1. ſpeculum prælatorum lib.1. ſpeculum ſubditorum libr.1. ſpeculum ſacerdotum libr.1. ſpeculum ſecularium hominum lib.1. ſpeculum ſenectutis libr.1. Colloquium Ieſu & monachi libr.1. Colloquium Ieſu & prælati lib.1. Colloquium Ieſu & ſenis lib.1. Colloquium Ieſu & heremitæ lib.1. Colloquium Ieſu & diſcipuli lib.1. contemplatio ſanctæ Mariæ lib.1. Coronula ſanctæ Mariæ lib.1. Dialogus crucifixi & peccatoris libr.1. Dialogus Mariæ & peccatoris libr.1. Dialogus item alius Mariæ & peccatoris lib.1. Meditationes de compaſſione beatæ Mariæ ſemper virginis lib.1. de nomine Ieſu & Mariæ lib.1. ſermones de tempore & de ſanctis lib.2. epiſtolarum ad diuerſos lib.1. & alia complura. Moritur quam deuotiſſime ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, Anno Domini M. CCCCLXXII. indictione quinta, pridie Idus Februarij.

*Albertus de Eybe.*

ALBERTVS de Eybe, Bambergenſis Eccleſiæ canonicus, & Pii ſecundi pontificis maximi Secretarius, vir in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus atq; in diuinis ſcripturis & maxime in iure canonico egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, Iuriſta, Rhetor, & poeta inſignis, ſcripſit ad inſtantiam Domini Iohannis Ducis Bauariæ epiſcopi Monaſterienſis & poſtea Magdeburgenſis Archiepiſcopi, atque primatis Germaniæ volumen magnum & inſigne, quod ex diuerſis auctoribus ſecularis literaturæ collectum prænotauit: Margaritam poeticam lib.1. de re quoque vxoria lib.1. orationes multas & varias. Epiſtolarum quoque ad diuerſos lib.1. & alia multa, quæ ad notitiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Pio papa ſecundo Anno Domini M. CCCCLX.

*Benedictus Stendel.*

BENEDICTVS Stendel, oriundus ex Hallis oppido Saxoniæ, virtam in diuinis ſcripturis quam in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſtic⁹, vita & conuerſatione ſingulariter deuotus, qui in Gymnaſio Erffordenſi multis annis docendo & ſcribendo claruit, & magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit. Scripſit & legit ordinarie multa præclara opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta. In Geneſim libr.1. in Exodum lib.1. in Leuiticum lib.1. in Numeros libr.1. in Deuteronomium lib.1. ſermones ad populum, & variæ collationes habitæ ad clerum, alia quoque nonnulla in literis

ſacris, in Logica & in philoſophia ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam adhuc minime venerunt. Claruit Erffordiæ ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M. CCCCLXX.

*Sifridus de Moguntia, epiſcopus.*

SIFRIDVS de Moguntia, ordinis fratrum prædicatorum, epiſcopus Cyrenenſis titulatus, Archiepiſcopi Maguntini in pontificalibus vicarius, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, Hebraicæ linguæ peritus, diſputator acutus, & diuini verbi prædicator egregius. Scripſit ad Theodericum Archiepiſcopum Moguntinum, de vſura Iudæorum libr. I. de cenſibus & reemptionibus lib. I. quæſtiones varias. Sermones quoque multos & orationes quaſdam ad clerum. Et quædam alia. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, Anno Domini Milleſimo CCCCLXXIII. indictione ſexta XVI. die menſis Maij. Sepultus in conuentu ſuo Moguntino.

*Godeſcalcus Greſemundus de Meſchede.*

GODESCALCVS Greſemundus de Meſchede, patria Weſtphalus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, acer ingenio, vita & conuerſatione præclarus, doctor ſacræ Theologiæ profundus, qui in Gymnaſio Erffordenſi eam ſcientiam multis annis glorioſe docuit. Scripſit ſuper ſententias quæſtiones notabiles libros quatuor; quæſtiones inſuper varias diſputatas in Scholis libr. I. ſermones multos & collationes diuerſas. Et quædam alia nobis incognita. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, Anno Domini M. CCCCLXX. Et ante hoc ferme decennium moritur.

*Stephanus Hoeſt, Laudenburgenſis.*

STEPHANVS Hoeſt Laudenburgenſis, presbyter & canonicus Eccleſiæ Spirenſis & prædicator verbi Dei in arce Heydelbergẽſi, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia egregie doctus, carmine excellens & proſa, ingenio acutus, ſermone compoſitus, in declamandis ſermonibus ad populum non minus doctus quam facundus. Scripſit non ſpernendæ lectionis plura opuſcula, de quibus tamen ad meam notitiam pauca peruenerunt. Repperi enim volumen præclarum in nouam tranſlationem Ethicorum Ariſtotelis lib. 10. ſermones & orationes varias ad populum, clerum, & principes. Et quædam Epigrammata. De cæteris adhuc nihil repperi. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio & Paulo papa 2. Anno Domini M. CCCCLXXI. indictione IV.

*Heinricus de Colonia, dictus de Piro.*

HEINRICVS de Colonia, dictus de Piro, domo videlicet paterna, monachus ordinis Carthuſienſis, domus ſanctæ Barbaræ in Colonia, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & ante religionis ingreſſum doctor vtriuſque iuris ſubtilis & fama celeberrimus. Scripſit & legit in ea facultate multa præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. pauca tamen in manus noſtras memini perueniſſe, videlicet opus inſigne ſuper inſtitutis lib. 4. ad nouitios de reformatione interna lib. I. conſilia varia in diuerſis caſibus, ſermones de tempore & de ſanctis complures. De cæteris nihil mihi conſtat. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini Milleſimo CCCCLXX.

*Nicolaus Donis.*

NICOLAVS Donis, monachus ordinis diui patris Benedicti, monaſterij (vt ferunt) Richenbacenſis, vir certe in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, philoſophus & Aſtronomus inſignis, Coſmographiæ Ptolomæi vigilãtiſſimus repertor, & diligentiſſimus inſtaurator, ingenio præſtans & clarus eloquio. Scripſit non contemnenda volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extat mirandum & celeberrimum opus cum picturis & nouis tabulis elegantiſſime ordinatum, in Coſmographiam Ptolomei ad Paulum papam ſecundũ li. 8. de locis quoque mirandis lib. I. epiſtolas etiam & multas & iudicio meo non inelegantes ad diuerſos compoſuit. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo. Anno Domini M. CCCCLXX.

*Georgius de Burbach.*

GEORGIVS de Burbach ſecularium literarum ſcientia peritiſſimus, & ſanctarum ſcripturarum non ignarus, philoſophus & Aſtronomus omnium ſui temporis facile doctiſſimus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, qui in Gymnaſio Wenenſi philoſophiã & aſtrorum ſcientiã multo tempore publice docuit, vbi inter alios innumeros diſcipulos Iohannem de regio monte virum doctiſſimum erudiuit. Scripſit nouas theoricas Planetarum lib. I. & alia complura in aſtronomia, quæ ad manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Paulo papa ſecundo, Anno Domini M. CCCCLXX.

*Iohannes Tinctoris de Colonia Agrippina.*

IOHANNES Tinctoris de Colonia Agrippina, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſputator acutus, in Gymnaſio Colonienſi ſacras literas multis annis publice docuit, & eruditionis ſuæ

laudes

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

laudes ingentes acquiſiuit. Scripſit quædam præclara opuſcula, quibus nomen ſuum ad poſteros transmiſit, & in primis quidem niſus eſt diſſenſiones Thomæ & Iohannis Scoti concordare in vno volumine, quod morte præuentus non perfecit. Scripſit etiam ſuper ſententias notabiles quæſtiones lib. I. ſermones ad populum & orationes varias ad clerũ. Et quædam alia nobis incognita. Claruit ſub Frederico Imperatore anno Domini mill. cccc. LXX.

*Iohannes de Beetz.*

IOHANNES de Beetz, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Thenenſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus & in ſeculari philoſophia (quam Ariſtotelicam vocant) doctiſſimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, vita quoque & conuerſatione deuotus, declamator ſermonum popularium non minus doctus quam facundus. Scripſit in epiſtolam Pauli ad Romanos lib. I. Præceptorum quoq; diuinæ legis lib. X. de ſacramento altaris lib. I. Quæſtiones varias diſputatas in ſcholis lib. I. de paſſione Domini lib. I. ſermones de tempore & de ſanctis lib. II. Alia denique quã multa edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto pontifice quarto, anno Domini mill. cccc. LXXVI. indictione IX. XVI. Calend. Auguſti, in conuentu Thenenſi ſepultus.

*Arnoldus de Buſco.*

ARNOLDVS de Buſco canonicus regulæ ſancti Auguſtini, monaſterij Windeſhemenſis in diœceſi Traiectẽſi, & aliquanto tempore Prior in Sulta Saxoniæ Hildenshemenſis diœceſis, vir ſtudioſus in ſcripturis ſanctis, moribus honeſtus, conuerſatione deuotus. Scripſit aperto ſermone non abijcienda opuſcula, quorum lectio deuotis fratribus & ſalutis ſuæ amatoribus vtilis iudicatur. E quibus tamen pauca in manus noſtras memini perueniſſe. Legi volumen illud quod ſcripſit de viris illuſtribus ordinis ſui & monaſterij Windeshemenſis lib. I. de origine quoque modernæ deuotionis & reformationis ordinis ſui lib. I. Epiſtolam prolixam de modo proficiendi in religione. Cętera quæ ſcripſit, in manus noſtras non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. cccc. LXX. Et ante paucos annos mortuus eſt.

*Rudolphus de Rudeshem.*

RVDOLPHVS de Rudeshem patria Renenſis ex diœceſi Moguntina, primum decanus Wormacienſis ac poſtmodum Epiſcopus Vratislauienſis, ſacrarum literarũ doctor, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, vita & conuerſatione honeſtus, in gymnaſio Heydelbergenſi, tum legendo tum docendo multis annis glorioſe claruit. Scripſit multa præclara volumina, de quibus extant ſubiecta. In Geneſim lib. I. In Exodum lib. I. in Leuiticum lib. I. in numeros quoque lib. I. in Deuteronomium lib. I. in Ioſuæ lib. I. in Iudicum lib. I. in Eſaiam prophetam lib. I. ſuper ſententias lib. IIII. ſermones multi & varij de tempore & de ſanctis lib. I. Orationes etiam complures habuit, quas longum eſſet per ſingulas deſcribere. Sed & alia nonnulla edidit, nobis adhuc prorſus incognita. Claruit ſub Frederico Imperatore, anno Domini mill. cccc. LXX.

*Iohannes de Regiomonte.*

IOHANNES de Regiomonte, Georgij Burbachij aſtronomi quondam diſcipulus, vir vndecunque doctiſſimus, non minor Anaximandro Mileſio, aut Syracuſano Archimede, Græca & latina eloquentia eruditiſſimus, Germanorum decus, ob aſtronomiam cęteraſque mathematicas diſciplinas à Matthia Pannoniæ Rege, & conſulatu ciuibuſque Nurenbergenſibus perpetuo donatus ſtipendio, magnam eruditionis ſuæ laudem non modo apud Germanos noſtros: verumetiam apud Italos Galloſque conſecutus eſt. Nam à Sixto pontifice quarto ad emendandum paſchalem Dionyſij computum, Romam accitus, dum pleraque poſteritati parat, non ſine maxima ſtudioſorum iactura morbo ſeu peſte interijt. Scripſit Calendarium cum incenſionibus perpulchrum lib. I. item Ephimerides de diſpoſitione cœli ſingulis diebus ad certos annos lib. I. Contra Gerardum Cremonenſem lib. I. Orationes varias & Epiſtolas multas ad diuerſos, ad dominum Iohannem Archiepiſcopum Strigonienſem tabulas directionum & profectionum, in natiuitatibus vtiles lib. I. Tabulas quoq; ſinus recti lib. I. de cõpoſitione aſtrolabij lib. I. Alia quoq; multa in mathematica ſcientia edidit, quæ ad manus noſtras nõ venerunt. Moritur autẽ Romę ſub Frederico Imp. 3. Et Sixto papa quarto, anno Domini 1476. indictione nona.

*Gerardus de Elten.*

GERARDVS de Elten, ordinis fratrum prædicatorum, conuentus Colonienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atq; in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſputator acutus, qui poſteaquam Theologiam annis multis in gymnaſio Colonienſi publice non ſine magna laude omnium docuiſſet, mũdum ſpreuit, & iam ſenex monachicum ſchema induit, nõ ſine admiratione multorũ. Scripſit vt fertur Quæſtiones ſententiarum lib. I. Quæſtiones quoque alias varias in ſcholis diſputatas, ſermones ad populum, & Orationes complures ad clerum. Et quædam alia ſcripſiſſe dicitur, no-

bis incognita. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, anno Domini mill. cccc. LXX.

*Iohannes de Lutrea villula.*

IOHANNES de Lutra villula, dictus de Lutrea, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus & in philoſophia ſcholaſtica egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione honeſtus & ſingulariter deuotus, amator virtutum, hoſtis vitiorum, fortiſſimus auaritiæ contemptor, qui pluralitatem beneficiorum abhorruit, titulum Epiſcopatus ſibi oblatum ſpreuit, qui primum in gymnaſio Erffordenſi Theologiam multis annis glorioſe docuit, & poſtea in Eccleſia Moguntina prædicatoris officium ſtrenue geſſit. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. Quæſtiones quoque varias. Sermones de tempore & de ſanctis lib. II. Et quędam alia nobis incognita. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, anno Domini milleſimo CCCC. LXXIX. indictione XII.

*Alanus de Rupe.*

ALANVS de Rupe ordinis fratrum prædicatorum, vir in diuinis ſcripturis eruditus, in declamandis ſermonibus ad populum excellentiſſimæ opinionis, vita & conuerſatione Deo deuotus, & beatæ Marię ſemper virginis amator præcipuus, eiusque Roſarij & famulatus promotor venerandus, perquam ſingulari dono ſupernæ conſolationis recreari meruit, & crebris reuelationibus miraculisque (vt ferunt) honorari. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuſcula: Compendium pſalterij beatæ Mariæ ſemper virginis lib. I. de miraculis quoque Roſarij eiuſdem glorioſæ virginis lib. I. Sermones & multos & varios lib. I. de fraternitate Roſarij lib. I. Et alia complura. Moritur in conuentu ſuo Svvolenſi, ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, anno Domini mill. cccc. LXXIIII. indictione VII. in vigilia aſſumptionis Mariæ.

*Conradus de Zabernia.*

CONRADVS de Zabernia, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, muſicus excellens, & diuini verbi prædicator egregius, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione honeſtus. Scripſit aperto ſermone quædam nō abijcienda opuſcula, quibus ingenium ſuum vtiliter & fructuoſe exercitans, etiam nominis ſui memoriam poſteris dereliquit. E quibus ego tantum repperi iſta: de monochordo lib. I. de modo bene cantandi lib. I. de collectarum concluſionibus lib. I. Sermones multos & varios lib. I. Cætera quæ compoſuit, ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, anno Domini mill. cccc. LXXV. ſub quibus & mortuus eſt.

*Iohannes de Dorſtein.*

IOHANNES de Dorſtein, ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, cōuentus Erffordenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis philoſopiæ nō ignarus, ingenio ſubtilis, & ad diſputandas enodandasque difficiles quęſtiones ſcripturarum ſatis idoneus, in declamandis quoque ſermonibus ad populum excellentis facundiæ, in gymnaſio Erffordenſi docendo & prędicando excelluit. Scripſit non contemnenda opuſcula, de quibus feruntur ſubiecta: Quæſtiones ſententiarum lib. I. de vitijs linguę lib. I. Sermones de tempore & de ſanctis lib. II. Et quædam alia. Claruit Erffordiæ ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto, anno Domini mill. cccc. LXXV.

*Theodericus de Herxen.*

THEODERICVS de Herxen, congregationis fratrum clericorum in communi viuentium Viſitator & Rector, vir deuotus & in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus. Scripſit ad ædificationem fratrum ſuorum multa præclara opuſcula, quibus ingenium vtiliter ſatis exercitans, memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extant ſubiecta: In pſalterio toto lib. III. Super oratione Dominica lib. I. Super ſalutatione Angelica lib. I. de paſſione Domini lib. I. de moriendi quoque deſiderio lib. I. Sermones complures ad fratres, & quædam alia. Claruit ſub Frederico Impetore III. & Sixto papa quarto, anno mill. cccc. LXXV.

*Angelus de Brunſuico.*

ANGELVS de Brunſuico Saxoniæ, qui vulgo dicebatur Magiſter Engelinus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus, in declamandis ad populum ſermonibus facundus, qui in gymnaſio Erffordenſi docendo & legendo clarus effulſit. Scripſit inſigne opus ſuper canone Miſſæ, quod Moguntiiæ coram clericis legiſſe perhibetur. Sermones & multos & varios lib. I. Quæſtiones etiam diuerſas in ſcholis diſputauit. Et quædam alia. Moritur Argentinę in cœnobio pœnitentium ſepultus, ſub Frederico Imperatore III. Anno Domini mill. cccc. LXXXI. indictione XIIII.

*Crodenberg abbas.*

CRODENBERG, abbas monaſterij mōtis ſancti Iohannis Baptiſtæ Rinckangienſis, Moguntinę diœceſis ordinis diui patris Benedicti, vir deuotus & eruditus, & regularis obſeruantiæ nouiter introductæ cuſtos & amator integerrimus, vnus ex his qui noſtræ reformationi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mationi Burſfeldenſi fundamenta iecerunt. Cum eſſet beatæ Mariæ ſemper virginis amator præcipuus, ſcripſit in ipſius honorem aperto ſermone volumen celeberrimum, ſumpta de ſingulis membris eius (ſub typo botri) materia laudis, quod prænotauit, de vinea Domini Sabaoth lib. I. Exercitium nouitiorum lib. I. de præparatione ſacerdotis ad Miſſam li. I. Orationes varias in capitulis noſtris habuit, quarum vna incipit: Cecidit corona capitis noſtri; Altera capite nobis vulpeculas. Tertia: Beatus ſeruus &c. Sermones quoq; varios compoſuit ad fratres: qui partim habentur partim ex negligentia ſubtracti ſunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio & Innocentio papa octauo anno Domini mill. cccc. LXXXVI. indictione IIII. VIII. Calend. Ianuarij. Sepultus in abſide dextera chori ad plagam meridionalem, ante altare ſancti patris Benedicti.

*Georgius Molitoris Nuenburgenſis.*

GEORGIVS Molitoris Nuenburgenſis, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus & egregie doctus, atque in Philoſophia ſcholaſtica (quam Ariſtotelicam vocãt) non mediocriter eruditus, ingenio ſubtilis & acutus, vita & conuerſatione honeſtus, qui in gymnaſio Erffordenſi Theologicam ſcientiam annis non paucis glorioſe docuit. Scripſit ſuper ſententias lib. IIII. de paſſione Domini lib. I. ſermones quoq; multos, & varias quæſtiones. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, & Sixto papa quarto anno Domini mill. cccc. LXXXIIII. indictione II.

*Nicolaus de Wachenhem.*

NICOLAVS de Wachenhem doctor Heydelbergenſis in ſcripturis ſanctis longa & diuturna exercitatione peritus, & Ariſtotelicæ philoſophiæ interpres acutus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione maturus, qui in gymnaſio Heydelbergenſi per annos ferme quinquaginta, docendo, legendo, ſcribendo, velut princeps Theologorum maximo in precio eſt habitus. Scripſit non ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus tamen ad meam noticiam pauciſſima peruenerunt. Quæſtiones ſententiarum lib. I. Sermones complures & orationes non inutiles ad clerum & patres. Claruit Heydelbergæ ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. cccc. LXXX. ſenex valde, & ſub Sixto papa quarto ante hoc ferme ſeptennium mortuus eſt.

*Heinricus cognomento Prudens.*

HEINRICVS cognomento prudens monachus ordinis Carthuſienſium, & Prior domus vallis, iuxta Brugas in Flandria, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio clarus, vita & conuerſatione deuotus, & Deo ſingulariter deditus. Scripſit pro inſtitutione religioſorum nonnulla deuota opuſcula, quibus nomen ſuum poſteris commendauit. De quibus extat opus celeberrimum deuotioni maxime congruum, quod prænotauit Tetralogum deuotionis lib. III. Scripſit etiam multas deuotas Epiſtolas ad diuerſos. Et alia complura mihi adhuc inuiſa. Moritur in noua domo ſanctæ Sophiæ Cõſtantinopolitanæ prope Buſcum ducis, in qua per annos aliquot prioris geſſit officium, ſub Frederico Imperatore tertio anno Domini milleſimo quadringenteſimo LXXXIIII. indictione ſecunda.

*Rudolphus Agricola de Grunyngen.*

RVDOLPHVS Agricola de Grunyngẽ patria Friſius, vir in ſecularibus literis omniũ ſuo tempore doctiſſimus, & diuinarum nõ ignarus philoſophus Rhetor, & poeta celeberrimus, trium linguarum principalium, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ peritus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, Iohannis Dalburgij epiſcopi Wormacienſis viri æque doctiſſimi quondam præceptor, in gymnaſio Heydelbergenſi docendo & ſcribendo tum Græcę tum Latinę facile obtinuit principatum. Scripſit quædam præclara opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus repperi ſubiecta. Carmen Heroicum de ſancta Anna lib. I. Vita Franciſci Patriarchæ lib. I. Dialecticam quoque ſubtiliſſimam lib. III. Epiſtolas quoque multas ad diuerſos, carmina & epigrammata plura, & varios tractatus. Tranſtulit ex Hebræo pſalterium, quod tamen diſtractum nuſquam ſimul inuenitur, ex Græco traduxit quædam opuſcula Platonis, & præcepta Iſocratis, Dionyſij Ariopagitæ volumina traducere incipiens, morte præuentus imperfecta reliquit. Moritur Heydelbergæ mente in Deum porrectiſſima, ſub Frederico Imperatore tertio, & Innocentio papa octauo anno Domini mill. cccc. LXXXV. indictione III. Cui Hermolaus Barbarus Patriarcha Venetus epitaphium tale cecinit: Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum Agricolam, Friſij ſpemque decuſque ſoli, ſcilicet hoc vno meruit Germania, quicquid laudis habet Latium, Græcia quicquid habet. Sepultus autem eſt Heydelbergæ in conuentu minorum.

*Thilmannus Prior S. Chriſtophori in Rauengisburg.*

THILMANNVS Prior ſeu præpoſitus monaſterij ſancti Chriſtophori in Rauengisburg, in fine Moguntinæ diœceſis verſus Treuerim, in loco qui ab antiquo dictus eſt Hunorum receſſus, ordinis canonicorum regularium ſancti Auguſtini, vir in diuinis ſcriptu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ris ſtudioſus & eruditus, regularis diſciplinæ amator præcipuus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit claro & aperto ſermone pro fratrum ſuorum ædificatione quædam non ſpernenda opuſcula, quibus ingenium ſuum vtiliter occupauit. E quibus olim mihi exhibuit, de vinea ſpirituali opus non abijciendum lib. I. item de pleniore inſtitutione nouitiorum lib. I. Scripſit & alia quædam parua ſed vtilia pro religioſis exercitia, quæ ad noticiam noſtræ lectionis adhuc minime venerunt. Moritur ſenex & plenus dierum ac bonorum operum, ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. CCCC. LXXXV.

*Henricus Arnoldi.*

HEINRICVS Arnoldi natione Saxo, profeſſione monachus ordinis Carthuſienſis, domus Baſilienſis, vir religione deuotus, ingenio clarus, affectu ſyncerus, moribus grauis, eloquio dulcis, conuerſatione affabilis, pius, humilis, manſuetus, exemplo fulgidus, in ſacris literis plurimum exercitatus, & pontificij iuris non ignarus. Qui cum officio notariatus in ſacro Baſilienſi concilio multis annis fungeretur, fidelis, iuſtus ac prudens cunctorũ teſtimonio probatus eſt. Tandem cernens omnia eſſe vanitatem, vniuerſa pro Chriſti amore contempſit, clauſurã præfatæ domus Carthuſienſis eligens ingreſſus eſt, vbi in Priorem electus, multis annis ſubditos ſibi monachos, in magna pace & tranquillitate gubernauit. Scripſit autem multa opuſcula valde deuota atque ſalubria, de quibus feruntur ſubiecta. Orationum multarum de diuerſis ſanctis lib. I. Sermones quoque multi lib. I. Hiſtoriæ de multis ſanctis lib. I. Paſſio Domini ex quatuor concordata lib. I. Meditationes de vita Chriſti lib. I. de immaculata conceptione beatæ Mariæ ſemper virginis li. I. de nouitiorum inſtructione lib. I. Dialogus inter Ieſum & Mariam lib. I. Dialogus inter ſanctam Margaretham & eius ſeruulum de exercitijs ſpiritualibus lib. I. Alius dialogus inter eoſdẽ de cruce lib. I. de commendatione charitatis lib. I. de ſancta humilitate ſub forma orationis lib. I. iterum de humilitate lib. I. Chronicon domus Carthuſienſis ſuę in Baſilea lib. I. & quædam alia. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, & Innocentio papa octauo, anno Domini mill. CCCC. LXXXVII. indictione V.

*Iudocus Eichman de Calvve.*

IODOCVS Eichman de Calvve, vico Sueuiæ oriundus, in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia nõ mediocriter doctus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus, in gymnaſio Heydelbergenſi, legẽdo, docendo & prædicando multis annis in præcio fuit, vbi etiam iuxta morem in Eccleſia ſancti ſpiritus prædicatoris aliquandiu geſſit officium. Scripſit quoſdam (vt ferunt) tractatus nõ abijciendos, ſed ad noticiam noſtræ lectionis minime venerunt. Extant eius & multi & inſtructi ſermones lib. II. Quæſtiones quoque variæ diſputatæ. Orationes etiam nonnullæ ad patres. Scripſit etiam vocabularium prædicantium lib. I. Et quędam alia. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. CCCC. LXXXV. & ſub Innocentio papa moritur.

*Heinricus de Geilnhuſen.*

HEINRICVS de Geilnhuſen, monachus noſtri cœnobij in Spanhem, ordinis diui patris Benedicti, gymnaſij Erffordenſis Baccalaurius, & quõdam in oppido natiuo Rector ſcholarium, vir ſtudioſus & eruditus, metro exercitatus & proſa. Scripſit quædam nõ ſpernendæ lectionis opuſcula, quibus ingenium ſuum vtiliter ſatis occupauit. Ad nouitios monaſterij Portæ Mariæ ordinis ſancti Wilhelmi ſcripſit longam & inſtructam epiſtolam de profectu & inſtitutione ſpirituali lib. I. Vitam ſancti Benedicti abbatis carmine elegiaco lib. I. Sermones de tempore & de ſanctis lib. I. Contra pluralitatem beneficiorum lib. I. Et quaſdã ad diuerſos epiſtolas. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, quinquagenarius, anno Domini mill. CCCC. LXXXVIII. indictione ſexta, VI. Calend. Aprilis, ſepultus in parte ambitus meridionali.

*Petrus de Kyrslaken.*

PETRVS de Kyrslaken ordinis fratrum prædicatorum, ſcripſit de paſſione Domini perpulchrum tractatum, quem in die paraſceues loco ſermonis ad populũ habuit. Fertur & quædam alia ſcripſiſſe, maxime ſermones, ſed in noticiam noſtram non venerunt.

*Petrus Nigri.*

PETRVS Nigri eiuſdem ordinis fratrum prædicatorum Hebraicæ & Latinæ linguæ peritus, declamator ſermonum famoſus. Scripſit ad Epiſcopum eccleſiæ Ratiſponenſis in Bauaria tractatum, contra perfidos Iudæos de conditionibus veri Meſſiæ, id eſt Chriſti. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. CCCC. LXXV.

*Philippus Kersbeele.*

PHILIPPVS Kersbeele, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli conuentus Gandenſis, Philoſophus & Theologus præclarus, ſcripſit tractatum perpulchrum contra veſaniam Vincentij de Nouo caſtro, ordinis prædicatorum, contra puriſſimam conceptionem diuæ Mariæ virginis latrantem, quẽ Carolus Fernandus monachus diui ordinis Benedicti in Francia ad ſtylũ elegantiorem reformauit. Mortuus eſt Pariſijs ſtudens ante ferme triennium.

NICO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Nicolaus de Crutzennach.*

NICOLAVS de Crutzennach, oppido comitatus Spanhemenſis, Moguntinæ diœceſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus; ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita præclarus, diſputator acutus, declamatorq; ſermonum egregius, Theologiam in gymnaſio Wenenſi multis annis publice docuit, & tam apud ſcholaſticos ibidem quam Imperatore Fredericum tertium magnam eruditionis ſuæ gloriam & fructum acquiſiuit. Scripſit quædam ingenij ſui præclara volumina, è quorum numero feruntur ſubiecta. Super ſententias lib. IIII. de puriſſima conceptione beatæ Mariæ ſemper virginis lib. I. Sermones de tempore & de ſanctis lib. II. Orationes multæ ad patres, & variæ quæſtiones in ſcholis diſputatæ. Et quædam alia nobis incognita. Moritur Viennæ in Auſtria, ſub Frederico Imperatore tertio, & Innocentio papa octauo, anno Domini mill. cccc. XCI. indictione IX.

*Petrus Schot Argentinenſis.*

PETRVS Schot Argentinenſis presbyter & canonicus ſancti Petri in Argentina, vir in diuinis ſcripturis exercitatum habens ingenium, in vtroque iure doctiſſimus, atque in cæteris humanitatis artibus valde eruditus, philoſophus, Rhetor, & poeta celeberrimus, ingenio excellens, vita & conuerſatione maturus, honeſtus, & præclarus. Scripſit tam metro quam proſa quædam pulchra opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. De ſanctis Iohanne Baptiſta, Euangeliſta, & Chryſoſtomo, ſcripſit inſtructum & delectabile opus carmine elegiaco lib. I. Diuerſorum carminum lib. I. Epiſtolarum ad diuerſos lib. I. Andreæ Apoſtoli laudes carmē breue. Laudes Iohannis de Gerſon, ante primam eius operum partem impreſſas. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad noticiam meam non venerunt. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. cccc. XCI. indictione IX. ætatis ſuæ anno XXXI. Argentinæ in Eccleſia ſua ſancti Petri ſepultus, cuius vitam, mores & ingenium Iacobus Wimphelingus deſcripſit.

*Nicaſius de Voerda.*

NICASIVS de Voërda natione Brabantinus, à tertio ætatis ſuæ anno morbillorum acerbitate oculis captus, & omnino cæcus factus, atque ob id elementorum quoque omnium penitus ignarus, velut grande miraculum ſecundum, noſtra tempeſtate ſe Dydimum Alexandrinum exhibuit, dum in omni doctrina & ſcientia tam diuina quam humana eruditiſſimus apparuit. Nam in gymnaſio Colonienſi (vbi & mortuus eſt) iura publice docuit, libros vtriuſque iuris quos nunquam vidit auditu didicit, tenuit mente, memoriter recitauit. In vniuerſitate Louanienſi gradum magiſterij in artibus primo ſuſcepit, poſtea ſcholas aliquanto tempore in Mechilinia rexit, deinde Louanium reuerſus, in ſacra Theologia Licentiatus conſtituitur & diſpenſatione Apoſtolica per omnes gradus rite aſcendens ſacerdos ordinatur. Miranda prorſus diuinæ dignationis operatio. Cæcus ab infantia qui ſe nunquam memoratur vidiſſe aliquid presbyter efficitur, prædicat in Eccleſia, audit confeſſiones, publice ad altare miniſtrat, Euangelium coram omnibus (memoria vtens pro libro) recitat, ſolum diuina per ſe in altari non celebrat. Poſtremo in Colonienſi Academia omnium doctorum conſenſu, iuris canonici doctor factus eſt, & legum imperialium cautus interpres. Edidit celeberrimum opus quod in eadem vniuerſitate Colonienſi pluſquam centum diſcipulis ad pennam excipientibus extraordinarie legit, ſuper inſtitutis lib. IIII. Item Louanij edidit ſuper ſententias lib. IIII. Quæſtiones varias diſputauit in ſcholis, quæ partim habentur, partim ſubtractæ ſunt. Sermones etiam multos ad populum. Dedit ad me quaſdam non inelegantes epiſtolas plures, in quarum vna ſatis copioſa, omnem hiſtoriam ſuæ fortunæ contexuit, & interrogatus à me, ſe prædicta opuſcula feciſſe confeſſus humiliter fuit. Moritur ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. cccc. XCII. indictione X. VII. Calend. ſeptembris. Coloniæ in Eccleſia ſanctæ Columbæ, & non in maiori Eccleſia ſepultus. Erratum eſt enim de illo in Catalogo ſcriptorum.

*Iohannes Pheffer de Widenberg.*

IOHANNES Pheffer de Widenberg, natione Francus orientalis, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio eruditus, & in ſeculari philoſophia egregie doctus, ingenio excellens, vita & conuerſatione deuotus, manſuetus & pręclarus, qui de vniuerſitate Heydelbergenſi miſſus principium Friburgenſis gymnaſij ſua eruditione illuſtrauit, in quo ſacras literas per annos multos cum ingenti gloria docuit, & multos auditores ſuos probe erudiuit. Scripſit volumen inſigne ſuper epiſtolas Pauli quod publice lectum prænotauit; Directorium ſacerdotale lib. XIII. Quæſtiones quoque ſententiarum lib. I. Sermones, & varios in ſcripturis tractatus, qui ad noticiam meam non venerunt. Claruit ſub Frederico Imperatore tertio, anno Domini mill. cccc. XC. Et ante hoc ferme biēnium mortuus eſt.

*Iohannes de Mylbach.*

IOHANNES de Mylbach doctor Erffordenſis in ſcripturis ſanctis eruditus, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſecularis philoſopiæ non ignarus, ingenio promptus, ſermone ſcholaſticus, non minus honeſtate vitæ quam ſcientia venerabilis. Scripſit nonnulla pręclara opuſcula, quibus ingenium vtiliter occupans memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus in præfato Erffordenſi gymnaſio fertur ordinarie legiſſe, in epiſtolas Pauli lib. XIIII. Orationes in laudẽ ſancti Hieronymi varias habuit, ſermones multos & diuerſas quæſtiones cum quibuſdam alijs ſcripſiſſe dicitur, quę in manus noſtras adhuc minime venerunt. Moritur in monaſterio ſancti Petri Erffordiæ ſepultus, ſub Maximiliano Rege Romanorum, anno Domini mill. CCCC. XCIIII. indictione XII.

*Iohannes Frytag de Duſeldorp.*

IOHANNES Frytag de Duſeldorp, oppido Colonienſis diœceſis, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Moguntinenſis & Prior Argentinenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, doctor Coloniẽſis, ingenio acutus & vehemens, in declamandis ſermonibus ad populum nõ minus facundus quam doctus, vita & conuerſatione deuotus, & regularis diſciplinæ amator pręcipuus. Scripſit de obſeruantia dierum feſtorum lib. I. de locis terræ ſanctæ quam ſuis pedibus terens oculis vidit lib. I. ſermones varios de tempore & de ſanctis lib. II. Et alia complura. Moritur ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini mill. CCCC. XCIIII. indictione XII. Argentinę ſepultus.

*Sebaſtianus Murrho Colmarienſis.*

SEBASTIANVS Murrho Colmarienſis, presbyter & canonicus in Colmaria oppido natiuitatis ſuæ, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis doctiſſimus philoſophus, orator, poeta, aſtronomus & Coſmographus celẽberrimæ opinionis, legum & canonum notitia inſignis, trium linguarum principalium, Hebraicæ, Gręcæ & Latinæ peritiſſimus, architectura, muſica, & toto Quadruuio nulli ſecundus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, vita & conuerſatione maturus. Scripſit ad Iacobum Wimphelingum Sletſtatenſem breue quidem, ſed perpulchrum epitome de hiſtoria & laudibus Germanorum principum & populorum li. I. Carmina quoque & multa & elegantiſſima lib. I. Epiſtolas etiam multas ad diuerſos lib. I. Et varias orationes. Commentarios in Baptiſtam Mantuanum Carmelitam incepit, quos morte præuentus non expediuit. Eoſque Conradus Leontorius monachus Mulbronnenſis terminandos ſuſcepit & propediem imprimendos concedet. Moritur non ſine maxima ſtudioſorum iactura peſte ſublatus, ſub Maximiliano rege Romanorum, anno Domini milleſimo CCCC. XCV. indictione XIII.

*Rodulphus Langius.*

RODVLPHVS Langius, Monaſterienſis Eccleſię in Weſtphalia canonicus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & in ſecularib⁹ literis eruditiſſimus, philoſophus, orator & poeta clarus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus. Scripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, quibus ſe & præſentibus vtilem, & poſteris memorabilẽ fecit. E quibus ſubiecta feruntur. Ad Hermannum Langium eiuſdem Eccleſiæ Decanum, de vrbe Hieroſolyma lib. II. Ad Decanum Colonienſis Eccleſiæ carminum diuerſorum lib. I. de obſidione Nuſienſis oppidi à Carolo duce Burgundię lib. I. de tribus Regibus carmen ſapphicum, De laudibus Alberti Magni carmen, Carmina multa, & varias ad diuerſos Epiſtolas. Et quædam alia nobis incognita. Audio eum adhuc viuere ſenem, quanquam ſint qui illum vita exceſſiſſe dicant hoc anno Domini mill. CCCC. XCV.

*Iacobus de Stralen.*

IACOBVS de Stralen presbyter Eccleſiæ Colonienſis, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, qui gymnaſium Colonienſe ſua eruditione & doctrina multis annis docendo & ſcribendo glorioſe illuſtrauit. Fertur quædam inſtructa ſcripſiſſe volumina, de quibus tamen ad meam noticiam pauca peruenerunt. Legi enim tãtum opus illud celeberrimum quod compoſuit ſuper Apocalypſin beati Iohannis Apoſtoli lib. I. Cætera quæ ſcripſiſſe dicitur, in manus noſtras non venerunt. Viuit adhuc apud Coloniam ſenex, & plenus dierum ſub Maximiliano rege Romanorum anno Domini quo nos iſta ſcribimus mill. CCCC. XCV. indictione XIII.

*Wilhelmus de Aquiſgrani.*

WILHELMVS de Aquiſgrani, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus: ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione præclarus, qui olim in Eccleſia Baſilienſi prædicatoris aliquandiu geſſit officium. Scripſit multa & commendanda quidem opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus nonulla in Erffordenſi gymnaſio publice legiſſe perhibetur. In Euangelium Iohannis lib. I. In canonem Miſſæ lib. I. de paſſione Domini lib. I. Itinerarium terræ ſanctæ lib. I. Quæſtiones varias diſputatas in ſcholis lib. I, Sermones multos, & alia plura, viuit adhuc in ſe-

in ſenectute bona ſub Maximiliano Rege, & Alexandro papa ſexto, anno Domini milleſimo cccc. xcv.

*Gabriel Byel.* GABRIEL Byel, ordinis clericorum in cōmuni viuentiū, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus, & in ſeculari philoſophia (quam Ariſtotelicam vocant) egregie doctus, ingenio clarus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus, qui gymnaſio Tubingenſi ab exordio inſtitutionis ſuæ multis annis præfuit, vbi tam in philoſophia quā in ſacris literis claros diſcipulos erudiuit. Scripſit quædam non ſpernenda opuſcula, quibus nomen ſuū notificauit. E quibus ordinarie legit in præfata Academia, in canonē Miſſæ volumen grande & pulcherrimū lib. 1. Scripſit etiam de paſſione Domini lib. 1. ſermonesquoque multos li. 1. Iam ſcribere dicitur ſuper ſententias opus ſingulare & vtile, quod ſuis modo diſcipulis legit. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quę ad noticiā non venerunt. Viuit adhuc prope ſeptuagenarius, & cœpto fortiter perſtat in ſtudio, ſub Maximiliano Rege Romanorum, anno Domini mil. cccc. xcv. indictione xiii.

*Iohannes de Lapide, monachus ordinis Carthuſienſis.* IOHANNES de Lapide, monachus ordinis Carthuſienſis, domus Baſilienſis, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone diſertus, vita & conuerſatione præclarus, qui olim in gymnaſio Pariſienſi magiſterium in artium facultate aſſecutus, pluribus annis rexit in eadē, ſtudiumq; ſacrarum literarum docendo, legēdo ac diſputando diligēter proſequens, doctorali dignitate in ſchola Theologorum decorari meruit. Hic doctrinam eorum Pariſienſium qui Reales appellantur, primus ad Baſilienſium vniuerſitatem tranſtulit, ibidemque plantauit, roborauit & auxit. Inter præcipuos quoq; Tubingēſis gymnaſij inceptores vnus fuit, qui deniq; poſt liberam plurium beneficiorum dimiſſionē ad canonicatū & prædicationis officium inſignis Eccleſiæ Baſilienſis vocatus fuit, ac tandem paucis annis elapſis omnia pro Chriſti amore relinquens, ſacri ordinis Carthuſienſis habitū aſſumpſit. Scripſit autē multa præclara volumina, quibus ſe & præſentibus vtilē & futuris memorabilem fecit, paucorū tamen ex his copia nobis obuenit. Introductorium Grammaticæ lib. 1. Dialogus de arte punctandi lib. 1. de propoſitionibus exponibilibus lib. 1. de arte ſoluendi ſophiſticas argumentationes li. 1. Explanatio omnium librorum Logicæ Ariſtotelis lib. 1. Explanatio librorum Phyſicæ eiuſdem lib. 1. de his quæ ad dignū ſacerdotē pertinent lib. 1. Reſolutorium dubiorū & periculorum circa Miſſam occurrentium lib. 1. Summariū paſſionis Domini li. 1. de aſcenſione Domini inter ſermones Meffret, ſermo vnus. Item inter ſermones ipſius Meffret ſcripſit tractatum vnum Catholicum pro defenſione puriſſimæ conceptionis beatæ Mariæ ſemper virginis, obſtruens non minus ſancte quam docte os loquentium iniqua. Qui tractatus cum prædictis ſermonibus in pleriſque exemplaribus habetur impreſſus. Scripſit etiam ſermones tam ad clerū quam ad populum complures lib. 1. Orationes quoq; & Epiſtolas varias lib. 1. Et alia multa nobis incognita. Multos præterea diuerſorum auctorum libros per tractatus & capitula diſtinxit, ſingulis argumenta præmittens, quibus intentio ſcribentis poteſt dilucide agnoſci. E quibus ſunt libri Ciceronis de officijs, de amicitia, de ſenectute, de ſomnio Scipionis. Item libri Logicæ Ariſtotelis, Libri eiuſdem de anima, & libri Metaphyſicæ. Item libri beati Effrem diaconi, Iohannis Chryſoſtomi, Auguſtini, liber Epiſtolarum eiuſdem, & omnes fere libri diui Ambroſij Epiſcopi, & alia complura. Viuit adhuc ſenectute bona in Carthuſia Baſilienſi, & varia componit, multoſq; ſuis ſcriptis & exemplo ad ſancta ſtudia prouocat. Sub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. cccc. xcv. indictione xiii.

*Conradus, dictus Henſel.* CONRADVS dictus Henſel, patria Haſſo, natus ex oppido Caſſel, Paſtor & Rector Eccleſiæ Franckfordenſis, ſacræ Theologiæ iuriſque canonici doctor, & celeberrimus interpres, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, qui primum in gymnaſio Erffordēſi hauſtis literis philoſophiam aliquandiu publice docuit, deinde in palæſtra Griſualdenſi, ſacras literas docens magnam eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit. Poſtremo inſignis imperialiſque vrbis Franckfordenſis Eccleſiam adeptus, verbo & exemplo plebem ſibi commiſſam vſque in hunc diem multis annis ſtrennue gubernat. Scripſit multa præclara volumina, de quibus extant ſubiecta. Super ſententias lib. 1. In epiſtolas quoque Canonicas lib. vii. In cantica canticorum lib. 1. de pœnitentia, ieiunio & oratione lib. 1. de fide, ſpe & charitate lib. 1. de quatuor virtutibus quas Cardinales vocant, lib. 1. de ſanctificatione ſabbati librum vnum. Super Euangelijs & Epiſtolis dominicalibus per anni circulum lib. 1. Sermones multi & varij lib. 1. de præceptis quoque Eccleſiæ & veritate Euangelica lib. 1. de interdicto lib. 1. de libertate Eccleſiaſtica lib. 1. Contra hæreticos & maleficos lib. 1. Cōtra Huſſitas Bohemos lib. 1. Ad Archiepiſcopum Colonienſem in officium Miſſæ li. 1. Ad

eundem ſuper pſalterio ſecundum quadruplicem expoſitionem lib.1. Ex partibus ſancti Thomæ conflauit,lib.1.in Apocalypſin Iohannis lecturam incepit quam in gymnaſio Moguntino continuabit,ſcripſit etiam notabiliter ſuper libros œconomicorum Ariſtotelis. Quæſtiones inſuper Ethicorum notabiles diſputauit & ſcripſit. Alia quoq; multa cõpoſuit,quæ ad noticiã meam non venerunt. Viuit adhuc ferme ſexagenarius in ciuitate Franckfordenſi,ſub Maximiliano Rege,anno Domini quo iſta ſcribimus mill.cccc.xcv.

*Iohannes Gotfridi de Odernhem.* IOHANNES Gotfridi de Odernhem , paſtor Eccleſiæ diuæ Katherinæ in Oppenhem,non longe à Moguntiaco,ſacræ Theologiæ Baccalaurius,vir tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis egregie doctus , ingenio ſubtilis & clarus eloquio, in declamandis ad populum ſermonibus celeberrimæ opinionis. Scripſit multos & varios tractatus,quos necdum in lucem venire paſſus eſt. Sermones quoque per anni circulum & de varijs materijs multos & elegantes compoſuit. Epiſtolas tam ad me quam ad alios ſcripſit eloquij venuſtate compoſitas,Multos denique veterum auctorum tractatus in vernaculam linguam de latino ſermone conuertit,non minori eloquentia quam repperit , ſi tamen Theutonicæ linguæ lepos & ornatus concedatur ineſſe. Vidi ex his Tullium de natura Deorum , quem tranſtulit ad inſtantiam ſtrennui militis Frederici Camerarij Dalburgij non minus eleganter q̃ docte. Auguſtinũ quoque de ciuitate Dei ad eundẽ Fredericum transferre incepit , & XII. ferme libros iam conſummauit. Alia quoq; multa ſcripſit & tranſtulit,quæ ſuo tempore in lucẽ ventura ſunt. Viuit adhuc ſenectute bona in Oppenhẽ varia ſcribens,ſub Maximiliano Rege ,anno Domini quo iſta ſcripſim⁹ mill. cccc.xcv.

*Wernerus Roleuinck de Laër.* WERNERVS Roleuinck de Laer,patria Weſtphalus ex diœceſi Monaſterienſi oriundus,monachus ordinis Carthuſienſis , domus ſanctæ Barbaræ in Colonia Agrippina,vir in diuinis ſcripturis ſtudioſiſſimus,& valde eruditus,ingenio ſubtilis , vita & cõuerſatione deuotus. Scripſit multa præclara volumina,de quibus extant ſubiecta. In omnes Epiſtolas Pauli tria magna volumina:quod opus prænotauit doctrinã Pauli li. XIIII. Vita Pauli lib. VII. Paradiſus conſcientiæ lib.1.de ſacramento altaris & valore Miſſarum lib. 1. Ad Iohannem Epiſcopum Monaſterienſem,formula timoratorum Epiſcoporum li.1. Formula viuendi canonicorum & presbyterorum ſecularium lib.1.de dignitate & poteſtate ſacerdotum lib.1.de vera nobilitate & eius origine li.1.ad Euervvinũ comitem de Benthem de optimo genere gubernandi Rempub.lib. 1. de regimine Ruſticorum lib.1. de hoſpitalarijs & operibus miſericordiæ vacantibus lib.1.de fraterna correctione & viſitatione monaſtica atque de his qui impediunt bonũ proceſſum eius li.1. Quæſtiones duodecim de his quibus conuenit tractare ſacram ſcripturã & de gradibus qui conferuntur in ſcholis li.1. Quæſtiones decẽ de profectibus religioſorũ lib.1. Octo quæſtiones lib.1. Faſciculus temporum cum circulis ab exordio mundi vſq; ad tempora Sixti papæ quarti lib.1.de laude Weſtphaliæ & eius conuerſione ad fidem lib.1.de origine Friſonũ lib.1.de contractibus an ſint liciti lib.1 de Calendario & martyrologio lib.1. Regulæ viginti pro prælatis vtiles lib.1. Sermo longus de S,Benedicto dudum impreſſus,qui ſic incipit, Ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Quæſtio ſi Chriſtus in cruce orauerit pro omnibus li.1.de excellentia Alberti Magni lib.1.ad quendã noſtri ordinis Abbatẽ qui coactus fuit ſuſcipere Epiſcopatũ lib.1.de fraternitate vulgari ſimul conuiuantiũ lib.1.de nouitijs inſtituendis lib. 1. de differentia paſſionum & quid ſit paſſio lib.1,de ſecuritate licentiæ prælatorum lib 1. de ſanctis deſiderijs & modo ſe habendi in illis lib.1.de contemplatione ſimpliciũ li.1.de horis canonicis deuote perſoluẽdis li.1.ſermones multi ſynodales,capitulares & populares quorũ incertus eſt numerus. Scripſit etiã tam ad me q̃ ad alios pene infinitas epiſtolas. Hæc ſunt quæ ſe ſcripſiſſe mihi nuper confeſſus eſt,anno ætatis ſuæ 70.cõuerſionis vero 48.cum in eius cella eſſem, ſub Maximiliano Imper.& Alexandro Papa ſexto,anno Domini 1495. indict.13,ſexto Idus Maij. Multa præterea in manibus adhuc verſat imperfecta,ſuo tempore perficienda.

*Iohannes de Keyſersberg.* IOHANNES de Keyſersberg,presbyter & prædicator inſignis Eccleſiæ Argentinenſis , vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus , & in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio ſubtilis , ſermone diſertus , vita & conuerſatione præclarus , veritatis præco imperterritus, virtutis amator , hoſtis vitiorum , qui ſcelera improborum ſæpe vſque ad inuidiam libera voce perſecutus eſt. Scripſit nonnulla præclara opuſcula , è quibus tamen adhuc pauca in lucem venire paſſus eſt. Extant eius pulcherrimi ſermones ad populum lib.II.de communicandis his qui vltimo ſupplicio plectuntur lib.1.de amouendis concubinis etiam ſi vterque continere decreuerit lib. 1. de hoc quod pueri non ſunt inſtigandi ad religiones in quibus regula non ſeruatur. Contra ſtatutum, quo teſtamentum ciues facere prohibentur. De decem præceptis, De ſeptem peccatis mortalibus. Orationes

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiones variæ ad clerum lib. I. Scripſit etiam tam ad me quam ad alios multas ornatiſſimas epiſtolas. Cætera eius opera in noticiam meam non venerunt. Hic magnis ſumptibus & diuturno labore collegit opera Iohannis de Gerſon quondam Cancellarij Pariſienſis, quorum ex Gallia tandem ad nos multa perduxit, diuidens ea in tres partes ordine pulcherrimo, tabulamque omnium librorum ſatis vtilem conficiens, id totum impreſſuræ donauit. Vnde merito ab omnibus eruditis & deuotis ſingulariter eſt amandus, qui ſuis laboribus & impenſis tot volumina eruditiſſimi deuotiſſimique doctoris produxit in lucem. Viuit adhuc quinquagenarius in ciuitate Argentinenſi, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo nos iſta ſcripſimus milleſimo CCCC. XCV. indictione XIII.

*Iohannes Wyrici de Nuſſia oppido.*

IOHANNES Wyrici de Nuſſia oppido, Colonienſis diœceſis oriundus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Colonienſis, Prior prouincialis inferioris Alemaniæ, diuinarum ſcripturarum doctor & interpres eruditus, & philoſophiæ Ariſtotelicæ ſagaciſſimus enucleator, ingenio promptus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus, diſputator acutus, & diuini verbi prædicator egregius. Scripſit quædam commendanda opuſcula, quibus ſe præſentibus vtilem & futuris memorabilem fecit. E quibus extat volumen inſigne ſuper ſententias lib. IIII. Sermones quoque multi ad populum. Et variæ quæſtiones in ſcholis diſputatæ. Sed & quædam alia, ſuo tempore in lucem producenda. Viuit adhuc ætate virili, Coloniæ reſidens, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini mill. CCCC. XCV. indictione XIII.

*Iohannes Camerarius Dalburgius epiſc. Wormacienſis.*

IOHANNES Camerarius Dalburgius Epiſcopus Wormacienſis, Iuriſconſultus celeberrimus, & tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis eruditiſſimus, in tribus linguis principalibus, Hebręa, Græca & Latina peritus, Rhetor & poeta clariſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, & multarum rerum experientia inſignis, qui nobilitatem generis ſui moribus & doctrinis magnifice illuſtrat. Scripſit & ſcribit tam metro quam proſa quædam excellentis ingenij opuſcula, quę nec dum in lucem venire paſſus eſt, propterea quod Reipublicę negotijs nimium occupatus, ea non vſq; adeo vt ſui propoſiti eſt perficere poteſt. E quibus tamen aliqua nobis innotuerunt, Carmen ſaphicum de morte Rudolphi Agricolæ præceptoris ſui Græci, viri doctiſſimi lib. I. de origine & ratione monetæ lib. I. Orationes elegantes quamplures. Carmina quoque & epigrammata multa. Sed & Epiſtolæ plures ornatiſſimę ad diuerſos, & quædam alia. Viuit adhuc quadragenarius, & tam Græcę quam Latinę varia conſcribit, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. CCCC. XCV. indictione XIII.

*Iohannes de Arundine.*

IOHANNES de Arundine ordinis fratrum beatæ Marię ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Mechilinienſis Epiſcopus Vsbitenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſeculari philoſophia (quam Ariſtotelicam vocant) egregie doctus, ingenio ſubtilis, eloquio clarus, declamator ſermonum popularium inſignis. Scripſit multa præclara volumina, de quibus feruntur ſubiecta. Lectura notabilis in librum Sapientię lib. I. In Epiſtolam Pauli ad Romanos lib. I. Sermones ſuper Pſalmo, Beati immaculati lib. I. Sermones quoque de tempore & de ſanctis lib. II. Alia quoque multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noticiam meam non venerunt. Viuit adhuc in ciuitate Traiectenſi inferiori Vicarius Epiſcopi loci in pontificalibus exiſtens, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus, mill. CCCC. XCV. indictione XIII.

*Iohannes Capnion, alias Reuchlin.*

IOHANNES Capnion alias Reuchlin, ex Pforcen oppido Sueuiæ oriundus, pręceptor meus Gręcus, Legũ imperialiũ doctor eximius, ac illuſtris ducis Eberhardi de Wirtenberg conſul cũ facundiſſimus, tum iuris fideiq; integerrimus, omnis antiquiſſimę philoſophiæ & literaturæ indagator ſolertiſſimus, triũ principaliũ linguarum Hebraicæ ſimul & Chaldaicæ, Græcæ pariter & Latinæ interpres peritiſſimus. Gallicanæ etiã atq; politioris noſtræ vernaculæ in primis clarus, & tam in diuinis ſcripturis q̃ in ſecularibus literis omnifariam doctiſſimus, quippe qui Græcorũ Hebræorumq; ſecreta myſteria multis iã annis enixiſſime penetrauit. Dignus profecto qui ſolis literis, nõ etiã perſtrepenti populari curiæ incũberet. Nullũ. n. nobis nõ modo Italia, ſed nec ſeculũ quidẽ noſtrũ huic tanto viro parẽ obijceret. Scripſit multa pręclara volumina, quibus memoriã ſui, poſteris cõmendauit. Inter quæ extat volumẽ non minus eloquentia q̃ doctrina inſtructum, ꝗ ſcripſit ad dominũ Iohannẽ Camerariũ Dalburgiũ Antiſtitem Vangionũ, de omnibus ſecretis & portẽtis myſterijs philoſophiæ Græcæ Hebraicæ & Chriſtianorum, ꝗ prænotauit ex nomine familiæ ſuæ Græco titulo Capnion ſiue de verbo mirifico, lib. 3. de præexercitamentis Rethorices li. I. de diuerſitate quatuor idiomatũ Græcæ linguæ lib. I. Epigrãmaton & elegiarũ li. I. Oratio funebris in mortẽ Rudolphi Agricolæ, Epiſtolas tam ad me q̃ ad alios & orationes



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſcholaſticas ſine numero plures cõpoſuit. Multa præterea vtilitati noſtræ cõmuni è Greco in Latinũ vertit opuſcula, Xenophontis apologiã pro Socrate, item Neſtoriũ Hæreticum quẽ ſanctus Cyrillus Epiſcopus in concilio Epheſino conuicit. Confeſſionẽ quoq; cuiuſdam Cypriani Græci. Proclum de laudibus beatæ Mariæ ſemper virginis. Luciani aliquos mortuorũ dialogos. Eiuſdẽ dialogũ de cõcilio Deorum. Monomachiã quoq; Iliados Homeri de Paridis & Menelai duello, in linguam Germanicã metrice vertit. Item Epiphaniũ de vita & morte prophetarum latinũ fecit. Maximum quoq; Tyrium Platonicũ philoſophum, in oratione: Si Deus fecit bona, vnde veniant mala. Alia inſuper nonnulla traduxit, quæ à memoria noſtra iam tulit obliuio. Viuit apud Stuckardiã vinculo ligatus vxorio, literis tamen nihilominus incumbens & varia ſcribens ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. cccc. xcv. indictione xiii.

*Wilhelmus de Velde.* WILHELMVS de Velde patria Gelrenſis, canonicus ordinis regularium ſancti Auguſtini in Franckendaël Wormacienſis diœceſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, Philoſophus & Aſtronomus, coſmographusque celebris opinionis, ingenio profundus, acutus & valde ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit & ſcribit quædam perpulchra & miranda volumina: quibus acrimoniam ingenij ſui legentibus patenter oſtendit. E quibus mihi nuper exhibuit iſta. Statuta ſororum ordinis ſui lib. i. Opus ſubtiliſſimum de toto vniuerſo, id eſt de mundi principio, medio, & fine, quod prænotauit Empyreale maius lib. xxiiii. Item compendium hujus operis, quod prænotauit Empyreale minus lib. vii. Tabulas quoque multas in diuerſis materijs non minus vtiles quã ſubtiles. Sermones etiam complures ad populum. Epigrammata & diuerſa carmina. Sed & quædam non abijcienda in Mathematica, Epiſtolas quoque plures ad me & ad alios. Denique & alia nonnulla compoſuit, quæ ſuo tempore venient ad lucem. Viuit adhuc quinquagenarius in Darmſtein villa Wormacienſis territorij, plebanus exiſtens, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo nos iſta ſcripſimus, mill. cccc. xcv. indictione viii.

*Petrus Bolandus Laudenburgẽſis.* PETRVS Bolandus Laudenburgenſis plebanus in oppido Schrieshemenſi Wormacienſis diœceſis, vir vndecunque doctiſſimus, philoſophus inſignis, mathematicus, Theologus & poeta celeberrimus, ingenio promptus, eloquio diſertus, carmine excellens & proſa, declamator quoque ſermonum egregius. Scripſit nonnulla præclara volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. Pauca tamen ex his in noticiam meam peruenerunt. Carmen ſaphicum pro Frederico Imperatore tertio. Saphicum in mortem Rudolphi Agricolæ; Epigrammata innumera ex ſententijs Senecæ & Platonis. Saphicum longum in diuam Mariam. Heroicum in opus de triplici candore. Heroicum in opus noſtrum de miſeria Prælatorum. Elegiaca, Saphica, & Epiſtolas ad Iohannem Camerarium Dalburgium Epiſcopum ſuum Wormacienſem ſcripſit. Carmen ad ſcholaſticos Heydelbergenſes, ob peſtem. Epigrammaton & elegiarum pene innumerabilium li. i. Sermones præterea multos & orationes elegantes, atque ornatiſſimas Epiſtolas plures ad diuerſos, multa quoque alia ſcribere dicitur, ſed celate. Viuit adhuc in Schrieshem nõ longe ab Heydelberga annos ætatis habens 50, Sub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus, mill. cccc. xcv. indict. xiii.

*Iohannes Bertram Nuenburgenſis.* IOHANNES Bertram Nuenburgenſis, Georgij Molitoris de Nuenburg quondam auditor atque diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſeculari philoſophia probe inſtructus, ingenio clarus, eloquio compoſitus, primum Erffordiæ & nunc in gymnaſio Maguntino Theologiam publice docens multoſque erudiens. Scripſit in ea facultate quædam præclara opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit, è quibus extat volumen grande & inſigne ſuper prologo Bibliorum quẽ Galeatum vocant, quod ordinarie Moguntiæ legit lib. i. Orationes quoque multas ſcripſit & habuit ad clerum lib. i. Ad Bertholdum Archiepiſcopum Maguntinum longã edidit epiſtolam in modum libelli, de valore Miſſarum lib. i. Quæſtiones etiam varias diſputatas in ſcholis enodauit. Scribit iam & legit ordinarie in epiſtolas Pauli. Legerat antea per decennium ferme in Geneſim opus magnum & iucundum. Viuit adhuc in gymnaſio Moguntino annum ætatis quintum & quadrageſimum prætergreſſus, ſub Maximiliano Rege, anno Domini quo hæc ſcribimus mill. cccc. xcv. indict. xiii.

*Rudolphus de Euſchringen.* RVDOLPHVS de Euſchringen Cancellarius reuerendiſſimi Domini Iohannis Badenſis Archiepiſcopi Treuerorum, vir vndecunque doctiſſimus, & omnis antiquitatis cultor & indagator ſolertiſſimus, philoſoph⁹ ſummus, iuris interpres ſagaciſſimus, & diuinarum ſcripturarum amator & enucleator diſertiſſimus, ingenio ſubtilis & promptus, ſer-

mone

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

mone ornate compoſitus, vita & conuerſatione presbyterio dignus. Scripſit ornatiſſimas orationes coram diuerſis principibus à ſe habitas. Epiſtolas quoque tam ad me quam ad alios diuerſos & multas & elegantiſſimas. Et quædam alia mihi adhuc prorſus incognita. Qui vtinam literis tam vacare poſſet atque curis Reipublicæ cogitur, parem eruditione & librorum editione tellus noſtra Moſellana haberet neminem. Viuit adhuc apud archiepiſcopum ſuum Treuerenſem, cuius illuſtre nomē ingenio & prudentia ſua illuſtrius reddit, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcribimus, milleſimo cccc. xcv. indictione XIII.

*Heinricus Euticus.*

HEINRICVS Euticus Francus orientalis de monte Norico alias Nurenberga oriundus, artium philoſophiæ & medicinæ doctor peritiſſimus, qui multo tempore in Auguſta, & nunc in Franckfordia practicam artis ſuæ profitetur, vir certe vndecunq; doctiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, metro excellens & proſa. Scripſit diuerſo genere metri opus terſum & nitidiſſimum quod prænotauit: Scōmata ſeu vrbanos & lepidos iuuenum iocos lib. I. Satyram quoque in Sophiſtas Dialecticos & humanitatis ſtudij inimicos lib. I. in laudes beatæ Mariæ ſemper virginis lib. I. Epigrammata quoq; varia. Et multas ad diuerſos ornatiſſimas Epiſtolas. Et alia plura nobis incognita. Viuit adhuc in imperiali ciuitate Franckfordenſi publico ſtipendio conductus, ſub Maximiliano rege, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. cccc. xcv. indictione XIII.

*Georgius de Gemmingen præpoſitus Eccleſiæ Spirenſis.*

GEORGIVS de Gemmyngen præpoſitus Eccleſiæ Spirenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atque in ſecularibus literis egregie doctus, profeſſor vtriuſq; Iuris, philoſophus quoq; & Rhetor celeberrimus, ingenio promptus, ſermone diſertus, vita & conuerſatione maturus. Scripſit quædam præclara Syntagmata, quibus & ingenium ſalubriter occupat, & memoriam ſui poſteris commendat. Celat tamen quæ ſcribit, vel vt typum inanis gloriæ fugiat, vel ea quæ ſcripſit lima maturi examinis caſtiget. Nobis enim pauca eius innotuerunt: De ratione Monomachiæ lib. I. de machinis quoque bellicis lib. I. de cura equorum & militum lib. I. Orationes elegātes in Synodis & alias habitæ. Præterea multas Epiſtolas tam ad me quam ad alios omni lepore plenas edidit, quibus quantum valeat, tum eruditione tum eloquentia, tumque multarum rerum experientia facile patet legentibus. Viuit adhuc in Eccleſia Spirenſi annos ætatis habens quinque & triginta, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. cccc. xcv. indictione XIII.

*Sebaſtianus Titio, alias Brant.*

SEBASTIANVS Titio, alias Brant, ciuis Argentinenſis, vtriuſque iuris doctor inſignis, & tam in diuinis ſcripturis quam in alijs literis humanitatis eruditiſſimus, poeticam non mediocriter callens, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, conſilio & actione præcipuus, qui ſua eruditione atque lucubrationibus inclytam Baſileam Germaniæ noſtræ vrbem, mirum in modum exornat. Scripſit tam metro quam proſa multa præclara opuſcula, quibus nomen ſuum longe lateque diuulgauit. E quibus extant ſubiecta. Super titulis vtriuſque iuris lib. I. ad Maximilianum Romanorum Regem opus proſaicum inſigne, de origine & conuerſatione bonorum Regum, & laude ciuitatis Hieroſolymæ, cum exhortatione eiuſdem recuperandæ lib. I. ad eundem epilogus Regum Hieroſolymæ, carmine elegiaco lib. I. In laudem glorioſę virginis Mariæ multorumque ſanctorum varij generis multa carmina lib. I. Variorum epigrammaton lib. I. Carmen ſaphicum in librum noſtrum de miſeria pręlatorum. Contra aduocatos calumniantes. De captiuitate Regis Maximiliani, Cōmendatitia carmina in varias impreſſiones. Compilauit præterea mira arte & induſtria, vulgari tamen & vernacula lingua libellum quendam, quem nauem Narragoniæ appellauit, in quo cauſam & radicem omnium ſtultitiarum adeo elegāter expreſſit, mores ſtultorum carpit, & quædam ſingulis remedia tradit, vt non iure ſtultorum librum, ſed diuinam potius ſatyram opus illud appellaſſet. Neſcio enim ſi quid tempeſtatis noſtræ vſibus aptius aut iucundius legi poſſet. Aiunt eum magnopere anniti, vt Latine carmine pariter & oratione ſoluta illud quam primum prodeat. Viuit adhuc apud Baſileam annos ætatis habens XXXVII. eiuſq; opera & induſtria impreſſores plurimum in exornandis libris ſuis vtuntur. Varia enim conſcribit, ſub Maximiliano Imperatore, quē ſingulariter diligens plura de eo & ad eum ſuauiſſima (etiā ſecreta vt aiunt) carmina condidit, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. cccc. xcv. indictione XIII.

*Conradus Sumenhart.*

CONRADVS Sumenhart ſacræ Theologiæ profeſſor eximius, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, atque in iure canonico egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, qui diuinas literas ordinarie legit & docet in gymnaſio Tubingenſi. Scripſit nonnulla præclara opuſcula, quibus

ſe præſentibus vtilem, poſteriſque memorabilem reddidit. E quibus extat ſumma notabilis de contractibus, quantum ad conſcientiæ forum pertinet, & Theologicam deciſionem, pluſquam per centum quæſtiones diſtincta li. VII. Oratio quoque non inelegans de reformatione monachorum. Cætera quæ ſcripſit vſque adeo celare ſemper ſtuduit, vt ne mihi quidem amicitiæ fœdus ea reuelare vnquam potuerit. Epiſtolas ad me & alios plures dedit. Viuit adhuc regens Theologicam ſcholam in gymnaſio Tubingenſi, oppido Sueuiæ Ducis Eberhardi Wirtenbergenſis, & varia conſcribit, ſub Maximiliano Rege anno Domini mill. CCCC. XCV.

*Conradus Celtis Protucius.*

CONRADVS Celtis Protucius, Francus orientalis, ex Svveinfordia natus, vir vndecunque doctiſſimus philoſophus clarus, orator facundus, Aſtronomus & Coſmographus inſignis, & Poeta laureatus, diuinarum quoque ſcripturarum non ignarus, Græcæ & Latinæ linguæ peritus: ingenio excellens & diſertus eloquio. Scripſit metro & proſa multa præclara volumina: quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus mihi aliquando legit ſubiecta. Ad Maximilianum regem in vtramque Ciceronis Rhetoricam, Epitoma id eſt compendium ſeu Breuiarium lib. I. Carmen de laudibus eloquentiæ lib. I. de arte verſificandi lib. I. de condendis Epiſtolis lib. I. de ſitu vrbis Norici montis, quod opus Nurenbergam prænotauit lib. I. Peregrinationem ſuam Sarmaticam lib. I. Carminũ ſeu Epigrammaton lib. IIII. Amnorum qui ſecundum quatuor Germaniæ latera, Iſtulæ inſcribuntur lib. IIII. Panegyrin Duci Bauariæ lib. I. Carmen ſapphicum in vitam ſancti Sebaldi patroni Nurenbergenſium, librum vnum; Germaniam lib. I. Orationes multas & varias lib. I. Epiſtolas tam ad me quam ad alios multas elegantiſſimas metro & proſa edidit, & in Coſmographia, cuius ſcientiſſimus eſt varia ſcripſit, quæ poſthac in lucem ſuo tempore ventura ſunt. Viuit adhuc in gymnaſio Engolſtatenſi in Bauaria, ordinarie legens in poeſi & oratoria, annos habens ætatis XXXV. ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcribimus, milleſimo CCCC XCV. indictione XIII.

*Iohannes de Veteri aqua, alias de Gauda.*

IOHANNES de Veteri aqua, alias de Gauda, patria Hollandinus, educatione Brabantinus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Mechlinienſis, hoc tempore Subprior Caſſellenſis in Haſſia, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus, & longa exercitatione peritus, in declamandis ad populum ſermonibus excellentis ingenij, ordiniſque ſui feruens amator cultorque deuotus. Scripſit ad multorum fratrum inſtantiam & ædificationem, de initio & profectu ordinis ſui commendabile opus, quod prænotauit: Faſciculum temporum tripartitum ordinis Carmelitarum lib. III. In quorum primo Heliam & Prophetas ordinis Carmelitici fundatores extitiſſe probat. in ſecundo ſanctos & Canoniſatos ex eodem enumerat, in tertio ſucceſſiones Priorum generalium totius ordinis ſui ſecundum tempora locat. Scripſit etiam de puriſſima ſemper conceptione beatæ Mariæ virginis lib. I. Sermones quoq; innumeros ad populũ lib. II. Epiſtolas tam ad me quam ad alios pene infinitas. Scripſit præterea multas Epiſtolas contra quendam Wigandum ordinis prædicatorum conuentus Franckfordenſis lectorem, conceptionem puriſſimam Dei genitricis, temere impugnantem. Is enim ſeptimum capitulum tractatus noſtri de ſancta Anna veſana loquacitate impugnans, contra me ſcripſit longam & procacem Epiſtolam, in qua ſe penſantem manus ſubſcripſit, & nomen ſuum proprium fraudulenter ſubticuit, cuius temeritati tum per iſtum Iohannem Carmelitam, tum per alios viros eruditos ſatis admodum eſt reſponſum. Ego enim vnas tantum literas reſcribens, nolui diutius cum Batthologo contendere verbis. Cætera vero quæ Iohannes iſte compoſuit, in manus noſtras non venerunt. Viuit adhuc in conuentu Caſſellenſi Subprioris gerens officium & varia conſcribit. Annos ætatis habens pluſquam ſexaginta, ſub Maximiliano Imperatore, anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. CCCC. XCV. indictione XIII.

*Rutgerus Sicamber de Venray.*

RVTGERVS Sicamber de Venray patria Gelrenſis, ordinis canonicorum regularium ſancti Auguſtini, cœnobij diui Apoſtoli Petri Dumetenſis, vulgariter Heynenſis, non longe à Wormacia, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus, ingenio acutus, ſermone diſertus, vita & conuerſatione deuotus, metro excellens & proſa. Scripſit tam carmine quam oratione ſoluta, multa commendanda opuſcula, quorum lectio non minus vtilis eſt quam iucunda. Ex his legi ſubiecta. Dialogum de inſtitutione puerili lib. II. Dialogum de inquiſitione beatæ vitæ li. II. Hymnorũ de ſancta Maria vario genere metri li. II. qui continent ferme duodecim millia verſuũ. Dialogũ de vario vſu literarũ li. II. Dialogũ de re mirabili li. II. Dialogũ de re-

de rebus & nouis & iucundis lib.2. dialogum de metrorum generibus libr.2. dialogum de latinorum verborum accentibus libr.2. Panegyrin ad me lib.2. dialogum de fraternitate Roſarij lib.2. Epigrammaton quoque lib.1. dialogum ad me conſolatorium ſuarum tribulationum & calamitatum horum temporum, in quo ſeipſum noſtris verbis inuicem quondam prolatis conſolatur, ſuper eo, quod pellatur de cœnobijs amor & ſtudium literarum odioque ſint prælatis monachorum fratres ſtudioſi & eruditi lib.1. item dialogum ad me de modulorum ſuorum expoſitione in hymnis Mariæ Dei parentis, vbi duo & quinquaginta metrorum genera inducit & exponit libr.1. ad dominum Iohannem Dalburgium epiſcopum Wormacienſem carmen Heroicum & ſaphicum lib.1. epiſtolas tam ad me quā ad alios pene innumerabiles. Contra fratrem penſantem manus ordinis prędicatorum ſupradictum puriſſimā conceptionem Dei genetricis impugnantem, epiſtolas multas edidit & verſus. Et quædam alia quæ adhuc in manibus eius imperfecta verſantur. Viuit adhuc annos ætatis habens ferme quatuor & quadraginta, in cœnobio Heynenſi Wormacienſis diœceſis, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo hæc ſcribimus M. CCCCXCV. indictione XIII.

*Iacobus Vimpfelingus Sletſtatinus.*

IACOBVS Vimpfelingus Sletſtatinus presbyter in eccleſia Spirenſi, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus literis egregie doctus, Theologus, philoſophus, orator, & poeta celeberrimus, qui primum Erffordiæ, deinde Heydelbergæ philoſophiam & ſacras literas publice docuit, magnamque eruditionis ſuæ gloriam acquiſiuit, vir in quam vndecunque doctiſſimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, qui & metro excellit & proſa. Scripſit vtroque genere multa præclara volumina, quibus nomen ſuum longe lateque diuulgauit. E quibus extant ſubiecta. Ad dominum Bertholdum Archiepiſcopum Moguntinum, ſcripſit volumen celeberrimum Hexametro & pentametro elegantiſſime de triplici candore beatæ Mariæ ſemper virginis contra impugnantes puriſſimam conceptionem eius lib.1. item ad Theodericum Greſemundum iuniorem Moguntinum præcepta Rhetorices lib.1. laudes inſignis Eccleſiæ Spirenſis lib.1. Poſtilla breuis in Symbolum Athanaſij lib.1. legendam & officium de compaſſione beatæ Mariæ ſemper virginis ad inſtantiam Ludouici epiſcopi Spirenſis compoſuit, qui idipſum in ſua diœceſi publice cantare inſtituit. De arte quoque poetica tractatum vtilem edidit, qui multum mēdoſe ad finem Grammaticæ nouæ ſine auctoris nomine impreſſus eſt. Hiſtoriam Stylphontis cuiuſdam idiotæ lib.1. carmen quoque de nuncio angelico li.1. Prothimologiam de bono modo prædicandi, opus probe inſtructum ex fontibus oratorum li.1. Iſodonium Germanicum de faciliori puerorum inſtitutione lib.1. orationem contra inuaſores ſacerdotum. Orationem pro immunitate eccleſiaſtica. Orationem ad Cardinalem Tornacēſem. Orationem ad Raymundum nuncium indulgentiarum. Orationem ad Gymnoſophiſtas Heydelbergenſes de ſancta Catharina. Orationem ad eoſdem de Spiritu ſancto. Orationē ad eoſdem de aſſumptione diuæ Parthenices, orationem ad ſynodum Wormacienſem. Orationem ad ſynodum Spirenſem, orationē ad ſynodum ruralem Stetſtatenſem. Orationes multas in Decanatu & Rectoratu ſuo Gymnaſij Heydelbergenſis de principijs ſententiarum, & vtriuſque teſtamenti, atq; in promotione Licenciandorum; orationes etiam multas ex perſonis aliorum. Orationē pro Rege Francorum, epiſtolas tā ad me q̄ ad alios pene innumerabiles. Ex perſona Frederici comitis Palatini, Ludouici Epiſcopi Spirenſis & aliorum multas epiſtolas ad Romanos Imperatores & pōtifices ſcripſit. Quæſtiones quoq; varias. Carmen heroicū ad Eberhardum Ducē Wirtēbergenſem. Epigrammaton li.1. contra fratrē penſantem manus, conceptionem Dei genitricis & Baſiliēſe concilium contemnentem, impugnantē, & proijcientem elegantes & inſtructas cōſcripſit epiſtolas. Viuit adhuc in ciuitate Spirēſi, Annos ætatis habens, quinq; & XL. ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus M. CCCCXCV. indictione XIII.

*Philippus Alberti de Nuſſia.*

PHILIPPVS Alberti de Nuſſia oppido Colonienſis diœceſis oriundus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Franckfordenſis ſacræ Theologiæ Baccalaurius, formatus vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & erudit⁹, atq; in philoſophia Ariſtotelica egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio: qui primum in Gymnaſio Pariſienſi, at nunc in Colonienſi palæſtra, ſua eruditione & morum honeſtate Carmelū ornat. Scripſit quædā nō abijciēda volumina, de quibus ego tantū vidi ſubiecta. Lecturā notabilē q̄ Coloniæ publice legit ſuper cantica canticorū lib.1. ſermones quoque multos & varios Franckfordiæ prędicatos li.1. iam ſcribit & legit publice in conuentu Colonienſi ſingulare & pulchrum opus ſuper ſententias li.4. ſcripſit etiam prolixā epiſtolam auctoritate & ratione firmiſſimis inſtructā contra Wigandū ordinis prædicatorū, manuū

penſatorem, de puriſſima conceptione Dei genitricis aliter quam Eccleſia determinauit ſentientem, in qua omnes latratus eius ſagaci diſputatione compeſcuit. Sed & alias epiſtolas ad diuerſos non inelegantes compoſuit. Viuit adhuc in Gymnaſio Colonienſi ſacris literis ſtudioſe incumbens, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Theodoricus Greſemundus iunior.*

THEODERICVS Greſemundus iunior Moguntinus, natus ex patre Theoderico Greſemundo de Meſchede, artium & Medicinæ Doctore clariſſimo, adoleſcens excellentis ingenij, qui carmine & proſa multa ſcribit & ſcripſit miranda opuſcula, cuiuſcumque argumenti ornatiſſima, Ciceronianam diſertitudinem præ ſe ferentia, tantum ſui miraculum præbet, vt velut alter Adeodatus Auguſtini quondam filius, ſuo ingenio & ſcribendi argumentandique promptitudine, multis (etiam doctiſſimis viris) ſit admirationi & ſtupori. Longe enim præcedit ætatem ingenium, quippe cum in eo tanta ſit eruditio & eloquentia ſimul, vt pares ætatis ſuæ habuerit aut paucos aut nullos. Scripſit ad me inſignem dialogum, de ſeptem liberalibus diſciplinis, in quo has ipſas artes non minus eleganter quam erudite defendit, enucleat, & commendat. libr.I. orationem quoque ornatiſſimam nomine philoſophiæ & oratoriæ, ad Rerumpublicarum gubernatores. Item de furia Germanorum elegantem dialogum compoſuit, qua tempore carniſpriuij inſaniunt lib.I. in fratrem penſantem manus ordinis prædicatorum puriſſimam Dei parentis conceptionem ſtolide impugnantem, carmen ſcripſit & multas epiſtolas. Carmina quoque diuerſi generis & epigrammata multa edidit. Epiſtolas ornatiſſimas etiam, tam ad me quam ad alios pene innumerabiles ſcripſit, ex quibus ingenij eius nobiliſſimi viuacitas & vena colligitur. Viuit adhuc Moguntiæ in domo paterna, Annos ætatis habens ferme decem & octo, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus mill. CCCCXCV. indictione XIII. Non mihi quiſque ſuccenſeat, quod puerum hunc ætate, inter ſcriptores illuſtres poſuerim, cum ingenio ſuo multos excellat ſeniores, quoniam ex ore infantium & lactentium laudem perfecit altiſſimus, nec ætatem requirimus, ſed ingenium, ſed lucubrationem, ſed opus. Nam etſi adoleſcentulus eſt, non venit propterea contemnendus, quippe qui non puerorum ludos, ſed virorum compoſuit libros. Qui cũ in pueritia hæc fecerit, quid putamus in ſenectute facturum eſſe? Mei propoſiti eſt nullum ſcienter omittere quem nouerim aliquid laude dignum in Germania ſcripſiſſe. Sed huius Theoderici ætatem prouectiorem Catalogus iſte noſter expectare non potuit.

*Petrus de Riuo, ſacræ Theologiæ Doctor.*

PETRVS de Riuo, ſacræ Theologiæ Doctor, & Gymnaſij Louanienſis ordinarius, decus & columen, vir certe in diuinis ſcripturis longo & diuturno ſtudio eruditiſſimus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, theologus inſignis, & computiſta maximus, ingenio dulcis, ſermone ſcholaſticus, vita & conuerſatione maturus. Fertur nonnulla commendanda ſcripſiſſe volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. Sed nihil eorum ad manus noſtras memini perueniſſe, præter opus illud celeberrimum quod magno labore compoſuit; de anno, die, & feria dominicæ paſſionis in tribus voluminibus. Cætera quæ ſcripſit & ſcribit, mihi ſunt penitus incognita. Viuit adhuc ſicut audio in Gymnaſio Louanienſi varia conſcribens, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo hæc ſcripſimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Theodoricus de Oſenbruck.*

THEODERICVS de Oſenbruck ordinis fratrum minorum Colonienſis prouinciæ, vir in diuinis ſcripturis exercitatum habens ingenium, declamator ſermonum popularium famoſiſſimus, cuius vitam omnes qui eum nouerunt ſanctam & religioſiſſimã prædicant. In ſermonibus enim faciendis ad populum tanta gratia diuinitus illuſtratur, tanta facundia loquitur, tanta denique compunctione & dulcedine auditores ſuos afficit, vt ſimilem inter Germanos habuerit neminem, vnde & per totam prouinciam generalis prædicator conſtitutus eſt. Legit mihi nuper dum Coloniæ mecum eſſet, in cœnobio diui Martini, opuſculum pulchrum & deuotioni congruum, de paſſione Domini & articulis eius, ad inſtantiam domini Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis lib.I. item manuale ſimplicium deuotorum lib.I. de exercitio quotidiano interiori lib.I. & varios ſermones. Scripſit & quædam alia nobis incognita. Viuit adhuc in prouincia Colonienſi verbo & exemplo multos erudiens in diſciplina Dei. Sub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus, M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Theodoricus Vlſenius.*

THEODERICVS Vlſenius patria Phriſius, vir vndecunque doctiſſimus, philoſophus, medicus, orator & poeta clarus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, carmine excellens ſimul & proſa. Scripſit quædam inſtructa opuſcula, quibus ingenium exercitans, memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extat, elegiarum volumen libr.I. Epigrammaton quo-

ton quo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tonquoque lib.1.& varias ad diuerſos epiſtolas ſcripſit. Viuit adhuc varia cudens, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indict. XIII.

*Arnoldus Boſtius.*

ARNOLDVS Boſtius ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis, de monte Carmeli, conuentus Gandenſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus, carmine exercitatus & proſa. Scripſit non ſpernendæ lectionis plura opuſcula, de quibus extant ſubiecta: Volumen proſaicum interpoſitis quandoque carminibus de eo quod beata virgo Maria ſpecialis patrona ſit ordinis Carmelitici, vnde & prænotare illud voluit, de patronatu libr.1. de illuſtribus viris ordinis ſui libr.1. de illuſtribus viris ordinis Carthuſienſis libr.1. contra Vincentium de nouo caſtro ordinis prædicatorum puriſſimam Deigenitricis conceptionem impugnantem lib.1. de quatuor nouiſſimis lib.1. carmina & epigrammata multa. Epiſtolas tam ad me quam ad alios ſcripſit pene innumerabiles. Et quædam alia mihi incognita. Viuit adhuc in noua Syon cœnobio monialium prope Brugas, annos ætatis quinque & XL. ſupergreſſus, ſub Maximiliano Rege. Anno quo hæc ſcripſimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Iudocus Beyſſelius.*

IVDOCVS Beyſſelius regiæ vrbis Aquenſis patricius & vnicum decus, vir tam in ſcripturis ſanctis quam in ſecularibus literis eruditiſſimus, philoſophus, orator & poeta inſignis, & iuris vtriuſque profeſſor & interpres celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, qui licet curis Rei ſuæ publicæ neceſſario ſit intentus, incredibili tamen feruet amore ſcripturarum, multa ſcribens multa cudens multa componens carmine ſolutaque oratione, quibus nomen ſuum cum ingenti gloria diuulgatur. E quibus iſta nobis innotuerunt, dialogus pulcherrimus, de optimo genere Muſicorum lib.1. de Chriſtiano ambitu libr.1. epitoma ſtimuli amoris lib.1. de roſacea Mariæ corona. libr.1. Roſarium metricum de beata virgine. Carmen de Sacramento altaris. Ad me ſcripſit roſarium carmine elegiaco de ſanctiſſima matre Anna; Geſta quoque Flandrenſium incepit, ſed variis occupationibus præpeditus hucuſque finire non potuit. Orationes etiam & varias & elegantiſſimas ſcripſiſſe dicitur. Epigrammata quoque multa ſcripſit, & diuerſi generis carmina cõplura. Epiſtolas tam ad me quam ad alios ornatiſſimas pene innumerabiles dedit. Et alia. Viuit adhuc apud Aquiſgrani, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Iudocus Badius Aſcenſius.*

IVDOCVS Badius Aſcenſius oriundus ex Gandauo, homo in ſecularibus literis eruditiſſimus: & diuinarum ſcripturarum non ignarus, philoſophus, Rhetor & poeta doctiſſimus, ingenio excellens & diſertus eloquio, qui olim Ferrariæ Baptiſtã Guarinum literas Græcas docentem audiuit, & in ea quoque lingua peritus euaſit. Scripſit carmine & proſa multa præclara volumina, quibus nomen ſuum & memoriam poſteris commendauit. De his extant ſubiecta. Contra Vincentium de nouo caſtro. lib.1. de Grammatica li.1. Pſalterium Beatæ Mariæ ſemper virginis carmine ſapphico libr.1. comportauit ex diuerſis auctoribus volumen inſigne de vitijs & virtutibus, quod ſuis commentariis ornate enucleans ſyluas morales prænotauit lib.12. Epigrammaton quoque & diuerſi generis carminum lib.1. epiſtolas etiam tam ad me quam ad alios ornatiſſimas metro & proſa pene innumeras edidit. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras minime venerunt. Viuit adhuc Lugdunum Galliarum vrbem ſua eruditione illuſtrans, & varia ſcribit, Annos habens ætatis XXXIII. ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus, M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Iacobus Sprenger.*

IACOBVS Sprenger ordinis fratrum prædicatorum prouincialis Colonienſis, diuinarum ſcripturarum profeſſor & interpres eruditus, atque in philoſophia Ariſtotelica egregie doctus, ingenio clarus, ſermone ſcholaſticus, cum olim ab Innocentio papa Octauo, vna cum Henrico Inſtitoris eiuſdem ordinis Theologo, inquiſitor hæreticæ prauitatis eſſet conſtitutus. Scripſit pro cautela & inſtructione ſimplicium, contra mulierculas maleficas, inſtrumenta Diaboli volumen non abijciendum quod prænotauit; Malleum Maleficarum lib.1. ſi quid amplius ſcripſit ad notitiam meam non peruenit. Viuit adhuc in conuentu ſuo Colonienſi reſidens, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Iohannes Tholaſius.*

IOHANNES Tholaſius ex Franconia oriundus, canonicus Ratiſponenſis, & præpoſitus Forchemenſis, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, atq; in ſecularibꝰ literis egregie doctꝰ, philoſophꝰ & Coſmographus inſignis, pontificij Iuris Doctor præclarus, ingenio ſubtilis & diſertꝰ eloquio. Scripſit nõnulla opuſcula in Mathematica & Aſtronomia, quibus ingenij ſui viuacitatem cunctis ea legentibus clare oſtendit. Epiſtolas quoque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

multas ad diuerſos. Alia etiam nonnulla ſcripſit nobis incognita. Viuit adhuc in ciuitate Ratiſponenſi, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo hæc ſcribimus M. CCCCXCV. indictione XIII.

*Hartmannus Schedel Nurenbergenſis.*

HARTMANNVS Schedel Nurenburgenſis, artium & Medicinæ Doctor, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio præſtans & clarus eloquio, comportauit & ſcripſit inter alia ingenij ſui opuſcula (ſumptus & impenſas miniſtrantibus Sebaldo Schreyer & Sebaſtiano Kamermeyſter ciuibus Nurenbergenſibus) volumen magnum hiſtoriarum ab initio mundi vſque ad hæc tempora Maximiliani regis. Si quid amplius ſcripſit neſcio. Viuit adhuc in ciuitate Nurenbergenſi, Anno Domini quo hæc ſcribimus. mill. CCCCXCV. indictione XIII.

*Iacobus Philippi.*

IACOBVS Philippi, plebanus Eccleſiæ Baſilieñſis ſacræ Theologiæ Baccalaurius formatus, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis philoſophiæ nõ ignarus, ingenio excellens, ſermone lucidus, vita & conuerſatione honeſtus. Scripſit quædam præclara opuſcula, quorum lectio deuotis maxime neceſſaria iudicatur. E quibus fertur libellus qui præcordiale ſacerdotum inſcribitur lib. I. Reformatorium quoque vitæ & morum clericorum & ſacerdotum lib. I. feruntur & ſermones eius ad populum complures, & alia multa nobis incognita. Viuit adhuc in ciuitate Baſilienſi, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo hæc ſcripſimus M. CCCCXCV.

*Bernardus, monachus ordinis Carthuſienſis.*

BERNARDVS monachus ordinis Carthuſienſis, domus paſſionis Ieſu Chriſti, prope ciuitatem Legnitz, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio, fertur multa præclara ſcripſiſſe volumina, ſed ego nullum eorum vidi præter Dialogum illum pulcherrimum quem de laudibus & miraculis beatæ Mariæ ſemper virginis eleganter compoſuit libr. I. Claruit anno Domini, M. CCCCLXXX. ſub Frederico Imperatore tertio, & credo eum adhuc viuere.

*Iohannes Gerbrandi de Leydis.*

IOHANNES Gerbrandi de Leydis, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Harlemenſis Supprior, vir valde ſtudioſus & eruditus, ingenio præſtans, ſermone Scholaſticus, declamator ſermonum popularium præclarus, fertur inſignem de ordine ſuo ſcripſiſſe hiſtoriam libr. 10. ſermones quoque de tempore & de ſanctis non abijciendos. Et alia complura nobis incognita, viuit adhuc in conuentu ſuo Harlemenſi, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus mill. CCCCXCV. indictione XIII.

*Bouslaus de Haſſenſtein.*

BOVSLAVS de Haſſenſteyn, vir nobilis & vndecunque doctiſſimus, philoſophus, orator, & poeta præclarus, ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, generis ſui præeminentiam doctrina & eruditione illuſtrans, varia tam carmine quam proſa ſcribere dicitur, in quibus non minus honeſtas quam ſcientia relucere perhibetur. E quibus extat opus inſtructũ, de proprijs inuentis Germanorum & Italorum libr. I. carminum quoque & epigrammaton. lib. I. epiſtolæ autem eius ornatiſſimæ complures feruntur ad diuerſos. Et quædam alia indies publicanda. Viuit adhuc in caſtro ſuo Haſſenſteyn & varia conſcribit, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus. M. CCCCXCV. indictione XIII.

*Egidius Fabri de Bruxellis.*

EGIDIVS Fabri de Bruxellis, oppido Brabantiæ oriundus, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, Prior conuentus ſui Bruxellenſis, Doctor ſacræ Theologiæ & philoſophiæ ſcholaſticæ clarus interpres, ingenio promptus, ſermone cõpoſitus, vita & conuerſatione maturus, fertur ab his qui eum prope nouerunt opus non ſpernendum cudiſſe ſuper ſententias lib. 4. quæſtiones etiam varias diſputatas, ſermones quoque multos & elegantes ad populum, & quædam alia. Viuit adhuc in conuentu ſuo Bruxellenſi in Brabantia, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini M. CCCCXCV.

*Haringus Sifridi Sinnama de Hagis.*

HARYNGVS Sifridi Sinnama de Hagys Friſiæ oriundus, qui vulgo Hermãnus appellatur, Doctor vtriuſque iuris, & tam in diuinis ſcripturis quam in philoſophia ſcholaſtica probe inſtructus, ingenio viuax, conſilio promptus, qui Coloniam Agrippinam docẽdo, ſcribendo, & conſultando exornat. Scripſit opus celeberrimum ſuper titulis vtriuſque iuris, omnibus in canonibus vel in legibus initiari cupientibus non minus vtile quam iucundum. Promiſit ſe olim cum Coloniæ inuicem de ſcripturis aliquando loqueremur etiam alia quædam ſcripturum, quod an fecerit non ſatis certum habeo. Viuit adhuc ætate virili, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus M. CCCCXCV. indictione XIII.

*Conradus Leontorius, vulgariter Leonberg.*

CONRADVS Leontorius, vulgariter Leonberg, monachus ordinis Ciſtercienſis, cœnobij Mulbronnenſis in Sueuia, vir tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus philoſophus, orator & poeta non abiiciendus, ingenio prompus & diſer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& diſertus eloquio, Hebraicæ & Græcæ linguæ non ignarus. Scripſit carmine & oratione ſoluta quædam præclara ſyntagmata, quibus memoriam ſui poſteris commẽdauit. E quibus extant epiſtolæ plures & ornatiſſimæ ad diuerſos lib. I. orationes quoque variæ. Carminum & Epigrammaton diuerſi generis libr. I. commentarios à Sebaſtiano Murrhonis Colmarienſi in Baptiſtã Carmelitam Mantuanũ inchoatos, ſed morte vrgente imperfectos relictos, compleuit & perfecit. Viuit adhuc in monaſterio ſuo Mulbronnenſi, annos ætatis habens ferme XXXV. & varia ſcribit ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Engelhardus Funck, alias Scintilla.*

ENGELHARDVS Funck, alias Scintilla, Francus orientalis de Suobach oriundus, vir doctus & vndecunque peritus, philoſophus & poeta inſignis, diuinarum quoque ſcripturarum & iuris pontificij non ignarus, ingenio præſtans & diſertus eloquio. Fertur carmine & proſa quædam cudiſſe opuſcula, quibus nomen ſuum longe lateque notificauit, è quorum numero eſt: Carmen elegiacum de laude patriæ ſuæ Franconiæ, carmen de annulo. Carmen de morte Cardinalis ſancti Marci. Epigrammaton quoque diuerſo genere metri libr. I. epiſtolas etiam ornatiſſimas compoſuit, ad diuerſos. Et quædam alia nobis incognita. Viuit adhuc ſicut audio in vrbe Romana cauſſarum aduocatus, ſub Maximiliano imperatore, Anno Domini quo iſta ſcripſimus Milleſimo quadringenteſimo XCV. indictione XIII.

*Iohannes Langer de Bolkenhan.*

IOHANNES Langer de Bolckenhan presbyter Eccleſiæ Vratislauienſis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio excellens, ſermone compoſitus, metro exercitatus & proſa. Scripſit gemino ſtylo quædam commendanda opuſcula, quibus nomen ſuum notificauit. Ad Georgium de Lapide Dominum Steynauiæ, volumen præclarum de cenſibus & reemptionibus lib. I. epiſtolas quoq; multas ad diuerſos. Carmina multa, & quædam alia. Viuit adhuc in Vratislauia & varia conſcribit, ſub Maximiliano rege Anno Domini M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Paulus Niauis, vulgariter Schnevogel.*

PAVLVS Niauis, vulgariter Schnefogel, vir in literis humanitatis (maximę in Rhetorica) doctus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio præſtans & diſertus eloquio, qui in Gymnaſio Lypzenſi docendo & ſcribendo magnam nomini ſuo famam eruditionis acquiſiuit. Scripſit pro nouitijs religioſis de inſtitutione latini ſermonis libr. I. viſionem cuiuſdam Heremitæ lib. I. de coloribus Rhetorices lib. I. Dialogum inter idiotam Beanum, & doctum Gymnoſophiſtam lib. I. epiſtolas formales ad iuuenum inſtitutionẽ lib. 3. epiſtolas quoque familiares ad diuerſos. Et quædam alia quæ in manus noſtras non venerunt. Viuit adhuc in Marchionatu Myſnenſi, & varia componit. Sub Maximiliano Imperatore, Anno Domini M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Heinricus ex Northeym.*

HEINRICVS ex Northeym oppido Saxoniæ oriundus homo in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus: & diuinarum ſcripturarum non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, metro magnifice exercitatus & proſa. Scripſit ad Fredericũ Marchionem Miſniæ & Ducem Saxoniæ; Dymetromachiam de conflictu virtutum & vitiorum lib. I. carmina quoq; multa & varias epiſtolas ad diuerſos. Et quædam alia nobis incognita, credo eum adhuc viuere: ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hęc ſcribimus milleſimo CCCCXCV. indictione XIII.

*Nicolaus de Alſentia.*

NICOLAVS de Alſentia, ordinis fratrum beatæ Mariæ ſemper virginis, de monte Carmeli, conuentus Crutzennacenſis, in comitatu Spanhemenſi, lector ſacræ Theologiæ, in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ingenio promptus, ſermone Scholaſticus, & declamator ſermonum popularium longa conſuetudine exercitatus. Scripſit in Exodum lib. I. in Apocalypſin quoque Iohannis lib. I. in officium Miſſæ & canonis longum & prolixum volum[illegible] libr. I. ſermones de tempore & de ſanctis lib. 2. & quædam adhuc penes eum latentia. Viuit vſque hodie in conuentu ſuo Crutzennacenſi ferme quadragenarius, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcripſimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Bartholomeus de Colonia Agrippina.*

BARTHOLOMÆVS de Colonia Agrippina, vir in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus, ingenio clarus & diſertus eloquio, philoſophus & vates inſignis, qui in palæſtra Dauantrienſi docendo & ſcribendo non mediocris effulſit. Scripſit metro & proſa nonnulla commendanda opuſcula, quibus nomen ſuum diuulgauit. Carmen de laudibus philoſophiæ, quod prænotauit Syluam carminum lib. I. Carmen de ſecta Diogenis philoſophi lib. I cætera quæ compoſuit in manus noſtras minime venerunt. Viuit adhuc Dauãtriæ oppido Traiectenſis diœçeſis, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini, M.CCCCXCV.

*Nicolaus Simonis ex Harlem.*

NICOLAVS Simonis ex Harlem oppido Hollandiæ, ordinis fratrum beatæ Mariæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſemper virginis de monte Carmeli, conuentus Harlemenſis lector, & in diuerſis locis aliquando Prior, vir certe ſtudioſus & in diuinis ſcripturis exercitatus, ingenio promptus & declamator ſermonum egregius. Scripſit non abiiciendos ſermones de tempore & de ſanctis, quos prænotauit ſermones, vade mecum libr.2. cætera quæ compoſuit, ad notitiã meam non venerunt. Viuit adhuc in conuentu Harlemenſi, Anno Domini quo hæc ſcribimus. M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Adamus Wernerus Themarenſis.*

ADAM Wernerus Themarenſis, vir in ſecularibus literis egregie doctus, & diuinarum ſcripturarum non ignarus: legum imperialium cultor & interpres, non minus eruditus quam facundus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit non ſpernenda opuſcula, quibus nomen ſuum poſteritati & memoriæ conſecrauit. Inter quæ extat ad me volumen diuerſorum carminum & Epigrammaton lib.1. carmina multa diuerſi generis ad me ſcripſit de ſancta Anna. Epiſtolas præterea tam ad me quam ad alios complures dedit, ſingularis eruditionis & eloquentiæ. Scripſit autem & alia nonnulla, ſuo tempore in lucem producenda. Huius diſcipulus eſt Iohannes Herbſt Luterburgẽſis capellanus in arce Heydelbergenſi, vir æque doctus & eruditus, qui & ipſe de ſancta Anna multa ad me carmina & epiſtolas ornatiſſimas ſcripſit. Sed & quædam alia propediem publicanda. Viuunt adhuc ambo in Gymnaſio vrbis Heydelbergenſis, ſub Maximiliano Imperatore. Anno quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV.

*Iohannes de Lamsheim.*

IOHANNES de Lamsheim vico non longe Wormacia poſito oriundus, ordinis canonicorum regularium ſancti Auguſtini, monaſterij Horti beatæ Mariæ, quod alias Kyrſgarten dicitur extra muros vrbis Wangionum, vir ſtudioſus & continua lectione ſcripturarum exercitatus, ingenio præſtans & apertus eloquio, dignus profecto qui ſolis literis non etiam curis temporalium rerum incumberet (œconomus eſt enim) multa lectione digna componeret. Scripſit de inſtitutione & vtilitate fraternitatis Roſarij diuæ Parthenices Mariæ lib.1. ſpeculum Miſſæ lib.1. ſpeculum nouiſſimorum libr.1. alium inſcribitur Artha æternæ ſalutis libr.1. & quædam alia. Viuit adhuc in præfato cœnobio iuxta Wormaciam, ſub Maximiliano Rege, Anno Domini M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Franciſcus Wyler.*

FRANCISCVS Wyler ordinis fratrum minorum de obſeruãtia, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio, declamator ſermonum egregius, cum ante hoc ferme triennium in conuentu Cruzennacenſis oppidi vitam ageret, ſcripſit ad inſtantiam Alberti Latronis eiuſdem ordinis profeſſorem, inſigne Repertorium epiſtolarum ſancti Hieronymi presbyteri lib.1. ad eundem de remedijs ſcrupuloſitatum conſcientiarum lib.1. contra quendam conceptionem Dei genitricis puriſſimam impugnantem in modum libelli prolixam epiſtolam. ſermones quoque multos ad populum. Extant eius tam ad me quam ad alios complures Epiſtolæ. item de paſſione Domini; de vitijs & virtutibus, de Muſica & eius laudibus, varia & non abijcienda Syntagmata. Et quædam alia. Viuit adhuc ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hæc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Thomas de Argentina.*

THOMAS de Argentina ordinis fratrum prædicatorum, primum ſacerdos ſecularis plebanus diui Thomæ Argentinenſis, deinde curatus ſancti Andreæ in Andelo, mox aſſumpta fratrum prædicatorum religione, confeſſor monialium ſui ordinis in ſuperiore Steyga & in Renthyngen eiectarum à Clyngental Baſilienſi factus, pro Dei amore & deuotarum ſororum multos labores forti animo ſuſtinuit, & ſuſtinet vſque in præſens. Vir deuotus, mitis, humilis, ſtudioſus, & doctus, ſolis literis & virtutibus deditus. Scripſit ſermones elegantiſſimos, deuotioni & compunctioni adeo congruos, vt me nunquam ſimiles legiſſe meminerim. Totus enim ardet, feruet, incendit, non more cæterorum ſuperficialiter, ſed ex corde loquens, tam erudite, tam diſerte, tam deuote, vt lapidea corda mouere poſſe videatur. Neque enim ſuperuacaneis allegationibus tempus inſumit, ſed veterum exemplo Rhetorio more incedit. Scripſit eodem ſpiritu & feruore Meditationes pulcherrimas libr.1. epiſtolas ad diuerſos & multas & ornatas, quæſtiones profundas ſcripturarum ſibi motas ab amicis tam proprie tam Catholice tam diſerte enodauit, vt nihil aptius reſponderi ad propoſitum poſſet. Viuit adhuc in Steyga cœnobio monialium in diœceſi Argentinenſi, ſub Maximiliano Imperatore, Anno Domini quo hęc ſcribimus M.CCCCXCV. indictione XIII.

*Godfridus Candelarij.*

GODEFRIDVS Candelarij, Prior conuentus & fratrum ordinis beatæ Mariæ ſemper virginis de monte Carmeli, in vrbe regia Aquenſi, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis non mediocriter doctus, ingenio acutus & diſertus eloquio, declamator ſermonum egregius, fertur quædam præclara cudiſſe opuſcula, quæ

necdum

necdum venire in lucem paſſus eſt. Extant eius ſermones ornatiſſimi de tempore & de ſanctis lib. 2. Orationes quoque variæ ad clerum. Epiſtolæ tam ad me quā ad alios cōplures elegantes. Audio eum orationem inſtructam cudiſſe, pro coronatione Reginæ propediem habendam ad petitionem amici ad perorandum in tempore deputati. Cætera quæ ſcripſit me latent. Viuit adhuc in conuentu ſuo Aquenſi varia ſcribens, ſub Maximiliano rege. Anno domini 1495. Indictione 13.

IVDOCVS Gallus Rubiacēſis, homo in ſcripturis ſanctis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularibus literis egregie doctus Theologus & orator, ingenio clarus, ſermone diſertus, carmine excellēs & proſa, iuuentutē Heydelbergenſis gymnaſii in literis humanitatis ſedulo docens. Fertur multa nobis adhuc incognita cudiſſe Syntagmata, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. Extant eius orationes ornatiſſimæ plures ad vniuerſitatem & clerum, E quibus ego tantum reperi: Orationem de ſancta Catharina, orationem de purificatione diuæ Parthenices matris. Orationē de natali domini, orationem de annunciatione dominica, orationes ad Synodum Spirenſem duas. Orationem de ſancto Iohanne baptiſta. Orationes de ſpiritu ſancto duas. Orationem de Epiphania. Dialogum per modum orationis de purificatione. Ad clerum Wormacienſem orationem per alium dictam. Orationem ad clerum ruralem per alium dictam. Dialogos duos de promouendis ad Magiſterium. Orationes plures pro baccalariis, & alia multa. Scripſit etiam carmina & epigrammata diuerſi generis multa lib. 1. Epiſtolas quoq; ad diuerſos & multas & ornatiſſimas. Viuit adhuc in Gymnaſio Heydelbergenſi, annos ætatis ſuperans 35. ſub Maximiliano Rege. Anno domini quo hæc ſcribimus 1495. Indictione 13.

*Iodocus Gallus Rubiacenſis.*

EYTELWOLFFVS de Lapide, patria Sueuus, vir nobilis, & in literis humanitatis (maxime in philoſophia & oratoria) doctiſſimus, ingenio ſubtilis, & eloquentiæ Romanæ amator & æmulator maximus, qui ob eruditionem & ſapientiam naturalē apud Marchionem Brandeburgenſem non paruo habetur in pretio. Scripſit ad Georgium de Lapide auunculum ſuum (amatorem literarum æque atque ipſe) De laudibus Heroum & virorum illuſtrium lib. 1. Epiſtolas quoque ornatiſſimas ad diuerſos lib. 1. Et alia multa nobis incognita. Hic quondam diſcipulus fuit Magiſtri Crafthonis Vdenhemii optimi & vigilantiſſimi iuuentutis Sletſtatinæ inſtitutoris, qui & ipſe nonnulla cudiſſe dicitur, quæ nobis incognita ſunt. Viuit adhuc cœpto fortiter perſtans in ſtudio & varia cōſcribit. Sub Rege Maximiliano, Anno domini quo hæc ſcribimus 1495. Indictione 13.

*Eytel Wolffus de Lapide patria Sueuus.*

IOHANNES de Bruxellis oppido Brabantiæ oriundus, ordinis Canonicorum regularium ſancti Auguſtini, monaſterii diuę Agnetis prope Zwollis, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio clarus & comptus eloquio. Scripſit volumen magnū & non inutile ad inſtitutionem omnium Chriſtianorū, quod prænotauit, Roſetum exercitiorum ſpiritualium & ſacrarum meditationum lib. 2. Item de illuſtribus viris ordinis ſui lib. 1. Et quædam alia nobis incognita. Viuit adhuc (vt intelligo) iuuenis in oppido campis ſocius cōfeſſoris monialium, & varia ſcribit, ſub Maximiliano Romanorum Rege præſtantiſſimo. Anno domini quo hæc ſcripſimus, 1495. indictione 13.

*Iohannes de Bruxellis.*

IOHANNES Tinctoris, patria Brabantinus, ex ciuitate Niuellenſi oriundus, & in Eccleſia eiuſdem vrbis canonicus, doctor vtriuſq; Iuris, Regis Ferdinandi Neapolitani quondam Archicapellanus & Cantor, vir vndecunque doctiſſimus, maximus Mathematicus, ſummus muſicus, ingenio ſubtilis, eloquio diſertus, multa ſcripſit & ſcribit præclara opuſcula, quibus ſe & præſentibus vtilem, & poſteris memorabilem reddit. Ex his ſolum reperi. In Muſica de arte contrapuncti lib. 3. Item de tonis lib. 1. De origine quoq; Muſicę lib. 1. Epiſtolas ornatiſſimas complures dedit ad diuerſos, figuram vnam depinxit, in qua omnes vetuſtiſſimos Muſicos comprehendit, & Ieſum Chriſtum ſummum cantorem dixit. Viuit adhuc in Italia varia ſcribens, annos habens ætatis ferme 60. Sub Maximiliano Rege, Anno domini quo iſta ſcribimus 1495. Indictione 13.

*Iohannes Tinctoris, patria Brabantinus.*

THILMANNVS Dulmanienſis patria Weſtphalus, ordinis ſancti Auguſtini canonicus in Bodiken quondam prior in Drutenhuſen, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio promptus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus. Scripſit inſigne volumen de laudibus beatæ Mariæ virginis, quod coronam ſanctæ Mariæ prænotauit. Item ſuper illis verbis Domini. Niſi quis conuerſus fuerit ſicut paruulus &c. longam & non inutilem tractationem lib. 1. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc hodie ſub Maximiliano Rege. Anno domini quo iſta ſcripſimus 1495.

*Thilmannus Dulmanienſis.*

*Matthæus Herbenus.*

MATTHÆVS Herbenus de Traiecto ſuperiori ſuper Moſam oriundus, vir vndecunq; ſtudioſus, atq; doctiſſimus, philoſophus excellens & muſicus ſingularis eruditionis, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, metro exercitatus & proſa. Scripſit quædam præclara volumina, de quib. extant ſubiecta. De natura vocis ac ratione Muſicæ pulcherrimũ opus li. 5. De inſtitutionibus ſcholaſticis li. 2. Diaſyntheticæ lib. 1. De captione nigropontis lib. 1. De inſtauratione natalis ſoli oppidi videlicet Traiectẽſis lib. 1. Contra Wigandum Cauponis, ordinis prædicatorum de puriſſima conceptione beatæ Mariæ ſemper virginis li. 1. quem prænotauit Antilogion. Orationes quoq; diuerſi generis carmina. Scripſit etiã tam ad me quam ad alios multas ornatiſſimas Epiſtolas. Et quædam alia. Viuit adhuc in Traiecto ſuper Moſam varia ſcribens. Annos ætatis habens 44. Sub Maximiliano Rege, Anno Domini quo iſta ſcripſimus 1495. Indict. 13.

*Gerardus de Marbays.*

GERARDVS de Marbays, natus ex oppido Traiectenſi ſuper Moſam, & ibidem in Eccleſia beatæ Mariæ ſemper virginis canonicus, vir tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularib. literis egregie doctus, in vtroq; iure peritus, Philoſophus & Rhetor facundus, q nobilitatẽ generis ſui eruditione & bonarum artium ſtudio plurimum illuſtrat, maximus librorum amator & cultor diſciplinæ. Scripſit perpulchrum dialogum de materia prima lib. 1. Alium quoq; dialogum de captione vrbis Tongrenſis hyeme præterita facta compoſuit lib. 1. vbi pulchre Tongrenſes eludit, qui dormiendo tam miſere ciuitatem ſuam amiſerunt. In his Andream Kantharum Friſium, Matthæum Herbenum ſupradictum Traiectenſem, & Ægidium de Holy Tongrenſem, inducit interloquentes. Sed & alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad manus noſtras non venerunt. Viuit adhuc in ciuitate Traiectenſi ſuperiori cœpto fortiter perſtans in ſtudio, annos natus circiter 28. Sub Maximiliano Rege illuſtriſſimo. Anno Domini quo iſta ſcripſimus 1495. Indict. 13.

*Matthias Mynnecomius.*

MATTHIAS Mynnecomius ordinis eorum quos vulgo Cruciferos vocant, oriundus ex Traiecto ſuperiori, Matthæi Herbeni quondam auditor atq; diſcipulus, vir tam in diuinis ſcripturis quam in ſecularibus literis ſtudioſus & eruditus, in Mathematica peritus, & Muſicę artis doctiſſimus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Abbreuiauit mirabili ſtudio muſicam Boetii in vno volumine. Item Theologiam naturalem Raymundi Sebeidi ſimili compendio & induſtria in vnum volumen redegit. Fertur & alia nonnulla ſcribere propediem manifeſtanda. Viuit adhuc in cœnobio Cruciferorum Traiecti ſuper Moſam, annos habens ætatis ferme 30. ſub Maximiliano Rege Rom. anno quo hæc ſcribimus 1495.

*Chriſtianus Maſſeeu.*

CHRISTIANVS Maſſeeu presbyter ordinis & cœnobii diui Hieronymi in Gandauo, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus ac veterũ lectione diues, ſecularis quoque literaturæ non ignarus ingenio ſubtilis & clarus eloquio. Scripſit inter cætera ingenii ſui opuſcula, De titulis Pſalmorum & eorum Auctoribus tractatum eloquentia & eruditione inſtructum. Epiſtolas tam ad me quam ad alios nectareę diſertitudinis plures. Viuit adhuc in Gandauo iuuenis & ſpem dat nobis amplioris lucubrationis & operis ſub Maximiliano Rege, Anno Domini quo nos iſta ſcripſimus 1495. Indict. 13.

*Iohannes Keſſeler Gyſslingenſis.*

IOHANNES Keſſeler Gyſslingenſis presbyter, natione Sueuus, Iacobi Vimpfelingi Sletſtatẽſis Theologi clariſſimi quondã diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in ſecularib. literis egregie doctus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, metro valens & proſa. Multa ſcribere dicitur, è quibus ego tantum legi carmen Sapphicũ prolixum & terſum nitidumq; de S. Nicolao Epiſcopo. Sapphicum quoq; de S. Andrea apoſtolo. Et varia Epigrammata. Cætera quæ ſcripſit ad notitiã meam non venerunt. Viuit adhuc in Gyſslingen vico Sueuiæ & varia ſcribit, ſub Maximiliano Rege. Anno domini quo hæc ſcripſimus 1495. Indict. 13.

*Iohannes Trithemius Abbas.*

IOHANNES Trithemius Abbas (licet indignus) monaſterii diui præſulis Martini, in Spanhem, ordinis ſancti Benedicti, Moguntinæ diœceſis patria Moſellanus, ex villa Trittenhem Treuerenſis diœceſis oriundus, Non exiſtimo me dignum qui locum inter ſcriptores & illuſtres Germaniæ viros occupare debeam, propter ingenii mei paupertatem: Sed ne mihi obueniat quod multis legimus contigiſſe qui titulos operum ſuorum ex humilitate occultantes, auctores eorum quoq; librorum æſtimati ſunt, quos forſitan non viderunt. Sed Apologiam cui ſcribimus? In his conſcientiæ teſtimonium vnicuiq; ſufficiat, nemo extra ſe amplius requirat. Celent alii ex humilitate quæ cuderunt opuſcula, ego quæ ſcripſi, magis ex humilitate & charitate in lucem conſtitui producenda. Malo enim (ſicubi erratum eſſet) viuus corripi, quam mortuus, quoniam ſicut à mortuo perit confeſſio, ita in viuo prodeſt correctio. Neq; enim tam petulans ſum, vt memoriam nominis vanitati obnoxiã pro laboris mei mercede expoſtulẽ. Ne ergo compoſuiſſe videar, aliena, aut

eclaſſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eclaſſe propria, exemplo diuorum patrum titulos operum meorum ſubiiciam, Et primo quidem iubente Capitulo noſtro Generali, ſtatuta ordinis abbreuiaui lib. 1. Deinde ſcripſi modum celebrandi ipſum Capitulũ prouinciale lib. 1. De viſitatione quoq; Monachorum lib. 1. Et hæc tria opuſcula ex mandato ipſius Generalis Capituli Nurenbergæ nuper in vno volumine impreſſa ſunt. Scripſi etiam in regulam Sancti patris noſtri Benedicti lib. 2. Exhortationum ad monahos lib. 2. De tentationibus Religioſorum lib. 2. Ad Nicolaum presbyterum Mernicenſem, de vita & inſtitutione ſacerdotali lib. 1. De vitio proprietatis Monachorum lib. 1. De vanitate & miſeria huius vitæ lib. 1. Penthicum de ruina ordinis noſtri lib. 1. De illuſtribus viris ordinis noſtri lib. 4. Laudes ordinis Carmelitarum lib. 2. Ad Gerlacum Abbatem Tuicienſem de laude ſcriptorum lib. 1. Ad dominum Iohannem Camerariũ Dalburgium Epiſcopum Wormaciẽſem, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis à tempore apoſtolorum vſq; ad vltimum annum Frederici Imperatoris tertii lib. 1. Ad Rumoldũ priorem Carmelitarum Franckfordenſium, de laudibus ſanctæ Annæ. lib. 1. Ad Rutgerũ Sicambrum canonicum Dumetenſem, de Græcis quæſtionibus in Euangelium Iohannis li. 1. De miſeria prælatorum clauſtralium lib. 1. Chronicon noſtri cœnobii Spanhemenſis li. 1. Rogante Dn. Blaſio Hirſaugienſis cœnobii Abbate, ſcripſi Chronicon eiuſdẽ monaſterii ſui Hirſaugienſis lib. 1. Hiſtoriam quoq; S. Irminæ virginis filiæ Dagoberti, cuius caput apud nos eſt li. 1. De laudibus S. Andreæ Apoſtoli li. 1. Laudes S. Ioſeph ſponſi Mariæ li. 1. Laudes S. Benedicti Abbatis li. 1. Laudes vitæ cœnobiticę li. 1. De laude pœnitentiæ li. 1. Soliloquium hominis ad animã li. 1. De laude amore, & ſtudio ſcripturarũ li. 1. De miraculis ſanctæ Annæ lib. 1. Sermones quoq; varios tam ad fratres quam in ſummis feſtis aliquando ad populum habitos lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. Orationes in capitulis vel alibi habitæ, ſine certo numero ſunt. E græco tranſtuli dialogum Maximi Abbatis, de incarnatione Domini Anathemata ſancti Cyrilli Epiſcopi Alexandrini contra hæreticos in tertia ſynodo Epheſina promulgata. Et quaſdam eiuſdem ſynodi Epiſtolas. Hæc ſunt quę me ſcripſiſſe ad præſens recolo. Sub Maximiliano imperatore, Anno domini quo & hunc Germanorũ Illuſtrium Catalogum poſt primam editionẽ ſecundario emendaui, augmẽtaui & compleui 1495. Indict. 13. vltima die menſis cui Iulii. Ad honorem omnipotentis Dei, vtilitatem eorum qui noſtra non ſpernunt, & decorem laudemq; noſtræ Germanicæ nationis, cui debemus quicquid poſſumus.

Ecce Iacobe Vimpfelinge Sletſtatine amantiſſime habes à me diu poſtulatum opus, in quo iuxta deſiderium tuum illuſtres Germaniæ viros & ingenio excellentes in ordinem diſpoſui, & quid ſcripſerit tam veneranda cohors (quantum nobis licuit) indicaui. Neq; tamen omnes qui ſuo ingenio & lucubrationibus nationem noſtram illuſtrem reddiderunt me conſcripſiſſe putaueris, ſed paucos ex multis, & qui mihi facile occurrerunt ſum complexus. Sed nec paucos inſerui huic opuſculo tam ex viuis quam ex vita defunctis quorum in maiori catalogo nulla fit mentio, propterea quod mihi opera eorum pridem fuerunt incognita, quæ interea non ſine labore facta ſunt patula. Sed neq; ignoro quam multi hodie Germaniam noſtram varia ſcribendo illuminent, qui nullam neque in iſto, neque in maiore catalogo memoriam conſequuti ſunt, non quod eos indignos iudicauerim, ſed quod mihi de opuſculis eorum nihil penitus innotuit. Enimuero Deum teſtem inuoco qui nouit abſcondita cordis, quod nullum vnquam ſcienter omiſerim, cuius vel pauca nouiſſem opuſcula. Si qui igitur de viuentibus aliqua ſcriptitantes à me prætermiſſi ſunt, voluntati non imputent meæ ſed neceſſitudini, & temporis breuitati. Non enim dabatur opportunitas perquirendi eos qui deſunt. Tu interea ſuauiſſime Vimpfelinge fac valeas, & deſtinatum tibi opuſculum cum Auctore amico habeto commendatum. Ex monaſterio noſtro Spanhem, vltima die menſis Iulii Anno Domini 1495.

*Explicit liber Trithemii Abbatis Spanhemenſis, de viris illuſtribus Germaniæ.*

*F I N I S.*